RATIONE

PROPHETIAS MESSIANAS IN

CERTISSIMAM NOSTRAEQ

ACCOMMODATISS

EXPONIT

CONR. GOTTLOB A

THEOL. BACC. ET LINGVAR. OR

IN ACAD. VITEB

DESSAVIAE ET LIP

IN BIBLIOPOLIO ERVD

CIↃIↃCCLXXXVI.

ONEM

NAS INTERPRETANDI

TRAEQVE AETATI

ATISSIMAM

NIT

OB ANTONIVS

VAR. ORIENT. PROF. P. O.

. VITEB.

ET LIPSIAE

ERVDITORVM

XXXVI.

LECTORIBVS DOCTIS ET S. LITERARVM AMANTIBVS.

Quem libellum propono, is quomodo natus ſit, paucis accipite. Ego quidem cum admodum iuvenis in Calovii Biblia illuſtrata et in Pſalmorum commentarios, a Salomone van Til editos, incidiſſem; imbutus iam aliqua libros profanos et ſacros interpretandi facultate in ſcholis virorum huius artis peritiſſimorum, Baueri, Rectoris nunc Hirſchbergenſis, Erneſtii, Mori, Dathii et Thalemanni, (quibus quantum debeam, iam alio loco declaravi,) a me impetrare non potui, ut acquieſcerem in ea ratione, qua illi interpretes uterentur ad exſculpendas prophetias Meſſianas, invita orationis ſerie, ex ſingulis fere verbis, quorum nunc proprium, nunc allegoricum ſenſum premerent atque urgerent. Neque Grotii, quanquam ſummi interpretis, libido vel ea oracula, in quibus aperta Meſſiae indicia ineſſe ſentiri poteſt ab eo, qui uſus loquendi et orationis contextae rationem habet, ad reges humanos referendi, ſe mihi probavit; atque excuſationem, quam eiusmodi locis paſſim adiicit, nihil impedire, quo minus ſenſu ſublimiori ad Meſſiam reſpiciant, *non magis concoquere potui, quam illorum licentiam, qui vel ea vaticinia, in quibus de Davide proprie agi, planum eſſet, ſenſu, quem dicunt, myſtico de Chriſto explicanda eſſe, contenderent. Mihi enim, perſuadere non ſuſtinui, Deum in iis, quae hominibus tradidiſſet, duplici ſenſu admittendo, eſſata non minus ambigua edidiſſe, quam Apollinem Delphicum; atque praeterea veritus ſum, ne, hac ratione introducta, omnis librorum divinorum interpretatio in ſuſpicionem adduceretur. Hinc tutiorem et veritati religionis divinitus traditae defendendae utiliorem putaui eam in iis explicandis rationem, quae non, niſi certis et evidentibus nixa argumentis, propugnari poſſet contra aduerſariorum ſummam ſubtilitatem. Hanc igitur ſequendam duxi, a quo tempore in Academia Lipſienſi et Vitebergenſi V. T. libros interpretatus ſum, quoties incidi in prophetias Meſſianas. Atque cum ante hos fere quinque annos omnium, quae in V. T. vere extarent, vaticiniorum Meſſianorum explanationem promiſiſſem commilitonibus; me ope-*

rae pretium facturum esse, speravi, si ea, quae ipso usu et exemplo optimorum quorumque interpretum didicissem praecepta, atque ad persuasionem de veritate eius, quam reliquis praeferrem, explicationis, efficacissima esse, expertus scirem, brevibus comprehensa thesibus, et utcunque digesta, interpretationi praemitterem. Haec, quoties in scholis meis repetii, paullatim auxi; denique etiam veterum et recentiorum libros consului, ut viderem, an ad eam rationem, quam, nullius auctoritate permotus, ex iis, quae inter interpretandum ultro observaveram, mihi et discipulis meis praescripseram, confirmandam atque augendam quaedam, hauriri possent. Atque me a libris Virorum Celeberrimorum egregiis, quorum mentionem passim facio, legendis non sine magno fructu rediisse, gratus profiteor. Lectione autem scriptorum recentissimorum inprimis effectum est, ut praeceptorum, a me traditorum, quae, si rem vere aestimaveris, inde ab antiquissimis temporibus valuerunt apud liberalissimos quosque interpretes, certitudo etiam contra adversarios huius aetatis acutissimos defendi possit, quia ad ea exornanda et confirmanda contuli etiam ea, quae olim vel nondum essent tam luculenter observata, vel saltem nondum frequentata. Eiusmodi vero ratione si unquam, certe nostro tempore, egent tirones, ut habeant, quid sequantur in tanta opinionum plane diversarum fluctuatione. Quidam enim iam diserte negant, extare in V. T. vera vaticinia Messiana, atque non, nisi per mysticam interpretationem ea elici posse, contendunt; alii hoc genus interpretandi plane exulare iubent, et pronunciant, reperiri prophetias, quae de Messia vere agant, quanquam paucissimas; sed paucissimarum istarum prophetiarum alii hanc, alii illam a Messia alienam esse, demonstrant. Itaque si ea, quae hic tradita leguntur, usui huius aetatis aptiora, quam quae in libellis maiorum nostrorum hermeneuticis leguntur, esse et haberi intellexero, non temere hanc materiam in hoc libello a me pertractatam esse arbitrabor, quam vel hanc ob caussam omnibus reliquis praetuli, quoniam quo rarius mihi eiusmodi quid scribendi provincia mandatur, eo gravius argumentum per hanc occasionem deligendum videbatur.

RATIO

RATIO PROPHETIAS MESSIANAS INTERPRETANDI CERTISSIMA, NOSTRAEQVE AETATI ACCOMMODATISSIMA.

PROOEMIVM.

Nostra aetas, quae, cum nimis indulgeret philosophando de rebus, ad libros divinos et theologiam pertinentibus, omnia fere argumenta, quibus nititur religionis christianae veritas, in dubitationem vocare coepit, omnium minime carere potest eiusmodi ratione, prophetias Mess. interpretandi, quae defendi possit etiam contra adversarios, omni genere literarum, nostro inprimis tempore florentium, instructos, quia hi modum, quem maiores nostri sunt secuti, cum videant quibusdam vitiis laborare, plane repudiant et spernunt. At si iisdem observationibus, quae ipsis sunt in promtu, adiuti, iis ostendere potuerimus, contineri in V. T. libris vaticinia, quae vere agant de Messia, non difficile erit, eos eo adducere, ut concedant, certe eos viros, qui omnia Christi eventa multa secula ante eum natum tam accurate praedixerint, Dei vero afflatu impulsos, dixisse atque scripsisse, partim quia illis, quorum ingenium angustis terrae patriae finibus circumscriptum, et quorum amor gentis, omni modo a reliquis terrarum populis disiunctae, ex qua oriundi erant, vinculis arctissimis adstrictus, ne capere quidem poterat consilium bene merendi de universo humano genere, in mentem venire nequibat, proditurum esse aliquem, qui hoc consilium, ipsis inauditum, animo generoso suscepturus et summa cum felicitate ad exitum perducturus esset [a]); partim quia plane non fieri poterat, ut ea, quorum ne obscuram quidem notionem ipsi conceperant, oratione adeo distincta praesignificarent, nisi verissimum esset id, quod fatentur, et prae se ferunt, numen divinum ipsis haec tradidisse [b]). Quod, qua ratione factum sit, etsi

non possumus demonstrare, id tamen ita factum esse, ut penitus perspectum et cognitum haberent, quae Dei auctoritate dicerent, sibi ab eo esse suggesta, omnium certissime ex eo potest colligi, quod non dubitarunt, res proxime instantes, sed plane incertas, summa cum fiducia denunciare [c]), quamquam scirent, nisi ipsorum oraculo exitus responderet, ipsos manere supplicium ex lege Mos. (Deut. 17, 22) plane necessaria in theocratia, cuius ratio requirebat, ut et civibus et magistratibus de veritate eorum, quae divina auctoritate significarent prophetae, constaret quam certissime. [d]) Atque adeo tum vel subtilissimi disputatores non poterunt non largiri, Iesum esse verum Messiam, si evicerimus, ea, quae prophetae V. T. divino numine impulsi, praedixerint, in hunc ita quadrare, ut in nemi nem alium [e]). Reperiemus igitur et eorum, quae in V. T. continentur oraculorum, divinae originis et religionis Christianae contra acutissimos disputatores defendendae argumentum firmissimum, nostroque tempori aptissimum, in hoc prophetias Mess. explicandi modo. Erit vero nostra commentatio bipartita. Primo enim eas observationes exponemus, atque argumentis et exemplis illustrabimus, quibus nititur omnis haec ratio; deinde ei superstruemus ipsa praecepta, ad quae quasi ad normam exigere possint iuvenes omne de vaticiniis Mess. iudicium. [f]).

a) Eadem enim ratione, qua *Reinhardus* noster in libro *Versuch über den Plan, den der Stifter der christlichen Religion zum Besten der Menschen entwarf*, 1781. edito et nuper repetito, demonstravit, in hoc consilio, a Iesu capto, inesse documentum ingenii supra hominem elati, effici posset, ea oracula, quae nobis praestent, aliquem ex gente Iudaica proditurum, qui tantum consilium esset capturus et executurus, non potuisse ex ingenio hominum proficisci; quod iam *Euseb.* sensisse videtur, qui in *Demonstr. Ev. l. 5. prooem.* indicat, vaticinia V. et N. T. oraculis gentilium etiam hanc ob rem antecellere, quia his nullae insint praedictiones, omne genus humanum spectantes.

b) Malunt quidem recentiores quidam veritatem religionis, in Script. sacr. traditae, ex praestantia doctrinae ipsius et ex vi, quam exserat in animis hominum probare; sed lubricam et incertam esse hanc rationem, monuit *Danovius*, theologus quondam Ienens. in progr. *de eo, quod in religione vim rationis superat*, 1781 edito, et ex vaticiniis, exitu confirmatis, prophetarum fidem, revelatione divina nixam, firmius adstrui posse, concedunt etiam nunc subtilissimi rel. christ. defensores, v. c. *Noesselt* (*Vertheidigung der Wahrheit und Göttlichkeit der christl Rel. ed.* 1774. III, 3, 2. §. 369—372.) et *Lessius* (*Beweis der Wahrheit der christl. Rel. ed.* 1785. p. 577.) Certe prophetia-

phetiarum Mess. originem divinam hac ratione intelligi, ostendit *Hufnagelius* in diss. *de Psalm. proph. Mess. continentibus.* §. 1. p. 20. 21.

c) Iam quidem non desunt, qui facultatis vaticinandi fontem non in Dei quadam vi, sed in prophetarum ingenio et animo commoto detexisse sibi videantur, (conf. *M. Ioh. Gottfr. Hassii Idiognomik Davids* §. 5 et 6 passim;) atque fere iam recoquitur opinio, ab Eusebio commemorata, (*de Demonstr. Ev. l. 5. pr. soli providentiae divinae oracula et vaticinia originem debere,* tam apud exteras gentes, quam apud Iudaeos. Verum etsi per Dei providentiam fieri potuit, ut illi, quibus munus prophetae destinatum esset, ingenio ad illud apto nascerentur, ut iis, cum cogitarent de vaticiniis antiquissimis nova quasi lux oriretur, quod *Lutherus in Comment. in Genes.* passim contendit, praeludens in hac re *Herdero* et aliis, ut illi, quoties miseros viderent cives suos, maiorem illis felicitatem optarent, eamque quasi iam praesentiscerent: tamen ex eo, quod summa cum fiducia praedicerent res fortuitas, etiamsi illis ex lege Mos. commemorata supplicium immineret, si eventus doceret, ipsos id, quod sperassent, atque optassent, pro divino oraculo venditasse, certe mihi colligi posse videtur, iis plane persuasum fuisse, eorum, quae eloquerentur, notiones, neque casu, neque per coniecturam, ex superioribus oraculis, aut ex rerum, de quibus ageretur, conditione ductam, sed per vim divinam, de qua ipsis ita constaret, uti de rebus, in sensus incurrentibus, excitatas esse. Quod, qua ratione factum sit, etsi non ausim definire; debuit tamen alia ratione fieri, quam ea, qua per providentiam divinam hoc tempore homines ad illud cogitandum, atque decernendum impelluntur, quod consiliis Dei est accommodatissimum, uti experientia quemque docere potest. Nam nunc quidem non plane novae notiones nobis suggeruntur, neque, si cui in mentem venirent per phantasiae luxuriam cogitata quaedam plane mira de rebus futuris, homo sanae mentis ausurus esset, pronunciare ea, divinitus quippe sibi inspirata, certissime eventura, praesertim si ipsi, exitu effati destituto, poenae grauissimae impenderent. Potuerunt quidem, ut hoc utar, Michaeae somniantis menti visa ea, quae 1 Reg. 22, 17 et 19 — 23 enarrantur, obiici, quia fortasse, Dei providentia gubernante, vigilans similia cogitaverat. Verum ei per sensum certum constitisse de harum cogitationum divina origine, patet ex confidentia, qua audet reliquis vatibus repugnare et regi irato interitum significare. Ex ipso etiam concentu divinae providentiae, quae prophetarum praedictis exitum annuit, atque oraculorum, quae illi divinitus sibi tradita dixerunt, luculenter apparet, eundem Deum esse eorum auctorem. Etenim non casu fieri potuit, ut ea, quae viri isti magna cum certitudine praevidissent, atque satis accurate praesignificassent, plane ita, ut praedicta erant, evenirent. Neque eiusmodi scientiam rerum futurarum ex natura mentis humanae, quantum quidem illa nobis est perspecta, explicari posse, sed ad Dei vim, sese in animo prophetae exserentem, referendam esse, ingenue profitetur *Niemeyerus*, (*Charakteristick der Bibel*, P. 5. diss. 2.

d) Recentiores quidem, *Herdero* praeeunte, in libro *Vom Geist der Ebr. Poesie* P. 2. p. 173 seqq. malunt sumere, theocratiam non fuisse, nisi formam reip. democraticam, quae legibus, ultro acceptis, esset constituta, a nullius legislatoris arbitrio penderet, quorum civibus singularis Dei providentia prospiceret in ea terra, cuius fertilitas tempestatis opportunitati, id est vi auctoris omnium rerum, esset adstricta. Verum et hoc requiri, ut ista civitas a Deo, sicuti a rege peculiari per leges, ab ipso traditas, per oracula, sacerdotes et magistratus, ipsius numine constitutos, regatur, *Spencerus de legibus ritual. in appendice l.* 1. satis luculenter demonstravit. Ipsa igitur theocratiae forma postulabat, ut Deus prophetis uteretur, tanquam legatis, (*Es.* 44, 26. *Hagg.* 1, 13) ad voluntatem suam declarandam et explicandam civibus et regibus, vices eius in regno ipsius gubernando sustinentibus, non tantum in iis rebus, quae ad religionem pertinerent, sed etiam in iis, quae ipsam reipublicae formam eiusque fata spectarent, (Conf. 1. *Sam.* 8 et 9. *Es.* 37, 7 et 30—34.) Necesse igitur erat lege ista cavere, ne quis propheta Dei auctoritate impune posset abuti. Neque ea dura potest dici, si prophetae discrimen inter notiones, divinitus ipsis suggestas, et inter eas, quae ultro nascerentur, sentire potuerunt.

e) Quantum momentum faciat hoc argumentum ad persuasionem de divina religionis origine, demonstrat *Lessius l. c. p.* 657. sqq.

f) Quae de omni genere vaticiniorum tenenda sunt, ea tirones discere possunt ex *Eckermanni, Prof. theol. Kilon. libris duobus de vaticiniis* nuper editis.

PARS I.

Observationes, quibus nititur certissima nostraeque aetati accommodatissima prophetias Mess. interpretandi ratio.

§. 1. Cum doctores ecclesiae christ. inde a tempore antiquissimo locis, tam propheticis, quam historicis, duplicem sensum tribuerint [a]), atque haec opinio non tantum eorum, qui in vaticiniorum Mess. copia augenda [b]), sed eorum etiam, qui in illorum numero minuendo elaborarent [c]), quibusdam magnopere arriserit, ante omnia quaeritur, an ea probari possit illi, qui certa prophetiarum Mess. explicandarum praecepta proponere cupiat? Iam vero cum, ea admissa, omnis interpretatio incerta et dubia reddatur, neque per usum loquendi, qui, quoniam oracula divina V. T. eo consilio sunt dicta et literis mandata, ut ab hominibus, hebraicae linguae cognitione imbutis, intelligerentur, in hac re non potest differre a consuetudine reliquorum hominum, in ulla lingua permittatur, ut eadem verba in uno eodemque orationis contextu revera habeant sen-

sus

ſus plures [d]): haec ſententia non firmo niti poteſt fundamento. Nos igitur non dubitamus contendere, id, quod poteſt defendi contra adverſarios acutiſſimos, non, niſi unum verum ſenſum locum habere in prophetiis, cuius effati veritas vel tum videtur ſalva, cum demonſtratur, propter ſimilitudinem rerum, a pluribus geſtarum, per viſionem opticam ex pluribus ſubiectis unam tantum perſonam eſſe effictam, [e]) aut cum ea, quae eidem nationi diverſis temporibus eventura erant, non quidem plane eadem, ſed tamen admodum ſimilia, formulis iisdem ad utraque exprimenda aptis, praedicuntur, [f]) aut denique cum in aliquo oraculo, in quo felicitas in univerſum alicui promittitur, ſingulas etiam eius formas et partes contineri, contendimus [g]). Atque adeo nobis eſt probabile, doctiſſimum quemque interpretem, qui eidem loco duplicem ſenſum affingeret, per ſenſum myſticum vel typicum, non verum ſenſum, ſed veri ſenſus ad eum, cuius typus eſſet is, de quo vere agitur, accommodationem intellexiſſe. [h]) Neque aliud quid apoſtoli, et reliqui ſcriptores N. T. explicationibus ſuis allegoricis innuere voluerunt, quam hoc, ea, quae in V. T. ſint tradita, habere aliquam ſimilitudinem cum iis, quae in N. T. evenerint. Id vero facile concedi poteſt et debet, Dei providentiam, quae omnia gubernat, res quaſdam in V. T. ita direxiſſe, ut rerum in N. T. futurarum quaſi imaginem poſſent exhibere. Atque hoc eo magis mihi probatur, quia hac ratione ipſa Dei ſapientia apoſtolis filum praebuiſſe videtur, quo N. T. oeconomiam V. T. quaſi attexerent. Nam ingenti Iudaeorum erga religionem patriam amori et puerili eorum ingenio, quod imagines ſenſibus ſubiectas ubique quaereret, nulla ad religionem chriſt. aptior excogitari potuiſſet praeparatio. [i])

a) Multos interpretes duplicem prophetiarum ſenſum ſtatuiſſe, intelligi poteſt ex *Erneſtii narratione crit. de interpretatione prophetiarum Meſſ. in Op. theol. p.* 495. et *Koerneri progr. de allegorica interpretandi ratione*, 1782 *edit.* Atque adeo eos, qui aliquo in hac re temperamento uterentur, interdum nimium dediſſe huic conſuetudini, *Theodoretus* ipſe docet, qui, quanquam hanc interpretandi rationem vituperat in *Praef. Comment. in Pſ.* tamen in *Quaeſt.* 82. *in Gen.* ait, κατὰ τὸ πρόχειρον καὶ ἐπιπόλαιον τοῦ γράμματος νόημα, (ſenſu eo, qui eſſet in promptu, et evidens,) Gen. 27, 27. per rorem coeli et pinguedinem terrae fertilitatem indicari, ſed ratione habita *agri* interpretatione (Matth. 13, 37. 38) per rorem coeli Chriſti divinitatem et per pinguedinem terrae humanitatem, a nobis acceptam, innui. Etiam *Auguſtinus*, *de civ. Dei* l. 16, 3. dicit quidem, eos multum audere, qui omnia ſignifi-

significationibus allegoricis involuta esse, contendant; sed c. 4. allegoricae interpretationi ipse indulget, atque adeo *c. Faustin c.* 24 pronunciat, *totum illud regnum propheticum fuisse.* Neque nostrae aetati duplicis sensus fautores deesse, docet *Lessius*, l. c. p. 869. sq.

b) Hoc docere possunt commentarii Cocceianorum, v. c. *Salomonis van Til Comment. in Ps.* qui vel eos Ps. quos Davidem per aliquam occasionem, in ipsa inscriptione indicatam, composuisse, constat, ad Messiam refert, fingens nimirum Davidem tanquam typum Christi esse locutum. Conf. Ps. 3.

c) Vid. *Grotius* ad *Ps.* 16, 10. *Ps.* 22, 1. *Ps.* 45, 1. et passim, et *Herderus vom Geist der Ebr. Poesie* P. I. p. 233. f. Non abs re erit, hic commemorare Venemae opinionem, quam ad Ps. 22 exponit, cui veram ambiguitatem a Deo inductam opinatur. Contendit enim, Davidem in hoc carmine componendo Spiritu divino ita esse ductum, ut cum de se loqueretur, simul de Messia intelligi posset, adspersis etiam nonnullis, quae proprie in solo Messia exitum habuerint. Tutius vero est, ex eiusmodi notis colligere, Christum per totum Ps. loqui, quod agnovit etiam *Knappius*, quam eadem verba duabus personis tribuere.

d) Nam, si rem vere aestimaveris, etiam in aenigmatibus et ambiguo sermone unus tantum verus sensus latet. Quantopere vero sensus duplex abhorreat a sensu communi, demonstrat *Teller ad Turretini de scr. script. interpretatione tract.* p. 109. Conf. quoque *Turretin. l. c.* p. 145. et nostram *introductionem versioni germ. Cantici Cantic.* praemissam.

e) V. c. cum Iesaiae animo commoto c. 63, 1. sqq. obiicitur imago eius, qui victoriam ab Edomitis aliquando esset reportaturus, potest quidem, suadente *Dathio* ad h. l. sumi, non tantum Iudam Maccabaeum, sed etiam omnes eius successores, qui Idumaeos superarunt, indicari, quia per visionem opticam, (de qua consuli potest *Velthusenius* in progr. *de optica rerum futurarum descript.* 1776 ed.) omnium victorum imago poterat in unam quasi confluere, cum et eorum et victoriarum, ab iis partarum, maxima esset similitudo. Si quis vero putet, simul indicari Messiam, ego existimaverim, ne poetarum quidem usum hoc permittere, quia tum et victoris et victoriae notio propria et tropica iisdem verbis eodem loco expressa sumeretur.

f) Sic v. c. Ps. 68. v. 30 templi caussa reges dicuntur Deo dona allaturi, quod exitum habere coepit statim post exilium Babyloniense, uti *Knappius* ad h. l. demonstrat, cum et reges Persarum pro se Hierosolymis sacrificia offerri iuberent, et reges Arabiae felicis, multique vicini religionem iudaicam amplecterentur; verum quis neget, hic simul indicari, quod in N. T. esset eventurum? Porro v. 31. magnates quoque (quam interpretationem nulla laborare difficultate, docuit Schnurrerus in disp. in Ps. 68. p. 41.) ex Aegypto venturi pinguntur. Qua formula et religionem iudaicam et christianam ex urbe Hierosolymitana in Aegyptum transituram significari, potest et debet

conce-

concedi, quia tum huic formulae non duplex, sed idem sensus tribuitur, scilicet hic: religionem Hierosolymitanam accipient etiam Aegyptiaci, etsi hoc diverso tempore factum esse, eventus docet.

g) Nam in genere insunt singulae formae; atque per se intelligitur, Deum, cum universam felicitatem promittit suis, eis etiam polliceri singulas eius quasdam partes; sed quia eiusmodi promissa non sunt satis definita, in universum etiam sunt accipienda, id tamen concedendum est, ea diverso tempore posse dici exitum habuisse, si historia doceat, hoc tempore hanc, alio aliam partem feliciratis praedictae contigisse Iudaeis.

h) Hoc diserte dicit Paulus ad *Gal.* 4, 24. quia, dum historiam de Ismaele, ex Hagare et de Isaaco, ex Sara nato, ait significare V. et N. T. oeconomiam, addit: ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα. Neque hoc genus accommodationis, quo mirifice delectati sunt Iudaei, reprehendi posse, monet *Semlerus* ad librum, qui inscribitur: *Philosophia Scr. s. interpres*, p. 203.

i) Negat quidem *Rau* in libro, *Freymüthige Untersuchung über die Typologie*, 1784 edito, typos Messiae fuisse homines, in V. T. obvios, quia eiusmodi typos intellexit, in quorum rebus gestis et fatis inessent prophetiae Mess. quas equidem ne eum quidem in typis reperturum esse putem, qui eos sensu eodem accipiat, quo eos defendit *Blaschius in Commentar. ad Ep. ad Ebr.* Nam vel sic concedi debet, omnes istas actiones, quibus res futuras indicari, putant, non esse, nisi actiones symbolicas, quae tum demum, cum explicatio adiicitur, quod solet fieri, dum Deus iis aliquid vult significari, vices prophetiarum sustinere possunt, non quidem per se, sed propter effatum Dei additum; hoc enim poterat ambiguitatem et obscuritatem removere, necessario coniunctam cum eiusmodi actione, cuius consilium non aliud fuisse videtur, nisi hoc, ut aures et animos erigeret ad audiendum et tenendum id, quod propheta esset praedicturus. Hinc equidem non ausim haec appellare vaticinia *realia* cum *Crusio* in *Theol. proph.* P. I. p. 43. Verum id defendi potest, quod modo proposuimus; quia a nobis non sumitur, ea, quae Davidi, vel alii homini tribuuntur, continere vaticinium Mess. vel praedictionem disertam eorum, quae huic olim essent eventura; sed id contenditur, Dei providentia factum esse, ut inter ea, quae illis et Messiae evenirent, tanta intercederet similitudo, quanta sufficeret Apostolis ad demonstrandum suis aequalibus, se non tradere res plane inauditas.

§. 2. Eadem ratio est eorum Messiae, atque religionis, per eum introducendae, typorum, quos in cultu levitico inesse, vel illi debebant concedere, qui sequuntur Spenceri sententiam [a]), ne ab eorum quidem doctorum ecclesiae antiquae, qui in libris Mosis ubique fere reperirent oeconomiae N. T. imaginem, opinione abhorrentem [b]).

 a) Rau

a) *Rau* quidem l. c. §. 2. sumens cum Spencero, ritus leviticos plerosque ab exteris gentibus repetitos, etiam hos typos negat; atque ei et *Husnagelio*, in *diss. c.* §. 2. de eadem re disputanti, hoc largiendum esse existimaverim, per ritus istos, per se quidem obscuros, Deum non tam voluisse reddere Messiam, quam pietatis erga ipsum et verae virtutis disciplinam, populo isti aptam. Hoc unum enim potest effici ex *Ps.* 50. *Ps.* 51. *Es.* 1. *Ierem.* 7. et *Hos.* 6. Atque in *Ps.* 40. Messias tantum significat, se hanc ob caussam, uti praedictum esset in Pentateuchi vaticiniis, venturum, quia Deus non acquiesceret sacrificiis. *Michaeli* tamen (Conf. *Entwurf der typ. Gottesgelahrheit*) et *Ernestio*, (Vid. *Vindiciae arbitrii divini in rel. constituenda Op. theol.* p. 314) concedendum esse, putaverim, in quibusdam ritibus fuisse adumbrationem Messiae; quod ne *Spencerus* quidem negavit. (Conf. l. c. l. 1. c. 11. p. 163). Atque ex locis N. T. in quibus cultus leviticus ad Messiam et novam religionis oeconomiam accommodatur, colligi potest, quod nec adversarii aequi et intelligentes negare audebunt, Deum, eo quoque consilio, (quod sive primarium, sive secundarium dixeris cum aliis disputans, perinde est,) per Mosem Israelitis praescripsisse quosdam ritus, sive convenientes cum ritibus aliarum gentium, sive ab iis abhorrentes, ut Apostoli demonstranda ea, quae inter illos et religionem Messianam intercederet, similitudine, Iudaeos proclives redderent ad cultum Dei novum, atque ab eorum moribus alienum, recipiendum. Quis enim neget, divinum numen in gente Iudaica educanda eadem sapientia usum esse, qua pater et praeceptor prudentissimus quisque uti solet, dum iis potissimum ingenii et virtutis exercitationibus pueros adsuefacit, quae vitae generis olim deligendi meditationem contineant? Idem sentire videtur *Morus* in *praef. versioni ep. ad Hebr.* praemissa p. 9. extr. Sed neque hos typos habuisse vim vaticiniorum, inde apparet, quia ab Mosis aequalibus plane non poterant intelligi, neque tamen ab eo sunt explicati.

b) *Theodoretus* quidem in *Quaest. in Lev.* 1. ait, sacrificia a Deo Israelitis permissa esse, ut avocarentur ab idololatria; at vitulum tamen, pro peccato immolatum, et extra castra combustum, putat esse Christi imaginem *Quaest.* 21. *in Lev.*

§. 3. Primum quidem argumentum, quo plerique putant, probari posse, vaticinium aliquod esse Messianum, repetitum ex allegationibus N. T. non est spernendum [a]), magna tamen cum cautione adhibendum. Etenim verissimum quidem est, *quem locum Christus vel vir quidam θεόπνευστος de Messia explicaverit, eum vere de eo agere* [b]). Sed quoniam aetas ista accommodationibus magnopere studuit [c]), atque oratio graeca N. T. cum lingua hebr. hoc habet commune, ut eius formulae, haustae nimirum ex vita communi Hebraeorum, graece loquentium, non satis defini-

definitae, neque ad subtilitatem philosophicam exactae sint [d]), difficile est ad demonstrandum, utrum in N. T. locus quidam V. T. de Messia explicetur, an ei accommodetur. Temere ergo quidam ex praemissis formulis: τότε ἐπληρώθη, οὕτω γέγραπται, τοῦτο ἐστὶ τὸ εἰρημένον διὰ τοῦ προφήτου etc. vaticinii alicuius interpretationem agnoscunt [e]). Exemplo esse potest *Matth.* 2, 15. coll. *Hos.* 11, 1. [f]) Gravius videtur illud: *si quo ex loco V. T. in N. ducantur argumenta ad doctrinam de Messia probandam, non dubitari posse, cum vere de ea agere* [g]). Sed neque hoc rem semper conficere, indicio est locus *Eph.* 4, 8. coll. *Ps.* 68, 19. [h]) Quod non adeo mirum potest videri intelligenti ex quibusdam locis N. T. v. c. ex *Gal.* 4, 22. sqq. ex *Ioh.* 12, 38. sqq. coll. cum *Act.* 28, 25. et *Es.* 6, 9. [i]) atque ex *Rom.* 10, 6. coll. cum *Deut.* 30, 12. [k]) Apostolos adeo indulsisse accommodandi studio, ut neque eo, quo auctores V. T. neque eo, quo alius scriptor, vel orator N. T. locum aliquem capi voluisset, sed eo, qui ipsorum consilio esset aptissimus, sensu eum usurparent, quod, salva fide, pro sua prudentia facere poterant, quia hoc isti tempori erat accommodatissimum [l]).

a) Quantum tribuatur huic argumento, docet *Vitringa in typo doctrinae proph. P.* 3. c. 2. *can.* 14. docent commentarii V. T. plerique.

b) Nam eiusmodi interpretationi eadem auctoritas est tribuenda, quam ICti tribuunt interpretationibus legislatorum authenticis.

c) Quantopere delectati sint Iudaei eiusmodi accommodationibus, *Philo*, *Talmud*, atque libri *Rabbinorum* testantur. Conf. *Vitringa de Synag.* 3, 1, 5. p. 673 sqq. *Surenhus.* in βίβλῳ καταλλαγῆς l. 3. et *Turretin.* l. c. p. 129.

d) Exempla quaedam commemorat *I. C. G. Ernesti*, *Prof. Phil. Extr. in Acad. Lips.* in diss. *de usu vitae communis ad interpret. N. T.* atque eiusmodi rationem dicendi non satis definitam convenire cum genio linguae hebraicae adeo antiquae, comparatio cum ea oratione, qua pueri utuntur, cum vernaculam usurpare incipiunt, omnium optime docere potest.

e) Quam late pateant eiusmodi formulae in genere dicendi, non satis definito, usus vitae communis atque oratorum quemque docere potest. Unum locum *Hieron.* ex *ep.* 103. ad *Paulin.* commemorasse sufficiet: *Ceterum Socraticum illud impletur in nobis*: *Hoc tantum scio, quod nescio.* Atque magistros Iudaeorum inprimis eodem modo usurpare similes formulas, docet *Coch.* ad c. 11. *Gemarae Sanhedrin.* Eiusmodi autem formulas usurpatas etiam esse ab aliis scriptoribus, si vaticinia latius patentia commemorarent, aut sententias veterum acutas, quae in proverbium abiissent, accommodarent,

rent, aut denique historiam aliquam in mentem revocarent admonitionis caussa, colligi potest ex iis exemplis, quae *Isenbiehlius* (*Neuer Versuch über die Weissagung vom Emanuel* p. 238—262) attulit, uti *Dresdius* noster docet in progr. natalibus Christi 1780 script. p. 7 et 8. Id tamen negari non potest, auctores graecos et latinos, accuratius scribentes, formulis magis definitis indicare, se mera accommodatione veterum carminum aut proverbiorum uti. Conf. *Plutarch. de audiend. poet.* c. 1. οὐ γὰρ μόνον, (ὡς ἔοικε) περὶ τῆς τῶν Αἰγυπτίων χώρας, ἀλλὰ καὶ περὶ τῆς ποιητικῆς ἐστιν εἰπεῖν, ὅτι etc. et *Cic. Fam.* 1, 9. — *dixi me facere quiddam, quod in Eunucho parasitus suaderet militi.* et *de Div.* 1, 40. *neque eorum similes, ut apud Enn. est:* Qui sui quaestus caussa fictas suscitant sententias. Interdum vero, non ambigua quadam, sed plane nulla formula addita, versus veteres tribuunt aequalibus suis, aut iis utuntur ad sententias suas exprimendas. *Cic. Fam.* l. 13, 15. ad *Att.* 2, 5.

f) Hic enim non agi de Messia, docet nexus cum membro priori, in quo de populo Israelitico est sermo. *Crusius* quidem in *theol. proph. P.* 1. p. 624. peculiarem occasionem huius effati fingit, et p. 579 illud sic vertit: *quanquam insipidus est Israel, attamen diligo eum: et ex Aegypto voco filium meum*; sed invito contextu. Conf. *Turretin.* p. 129.

g) Hoc quidem argumentum non temere urget *Pisanski* in *adversar. de accommodationibus V. T. in N. obviis*; est enim omnino verissimum atque tum certissimum, cum potest demonstrari, Apostolos aliquod argumentum ex eo V. T. loco, quem commemorant, haurire, non autem illud, ipsis iam aliunde cognitum, ex eo hoc tantum consilio illustrare, ut verbis, quae ipsorum aequalibus iam satis trita essent, id quasi alligarent. Verum uti hoc demonstrare est difficillimum, ita negari non potest, Apostolos interdum iis locis, quae, etsi non spectarent Messiam, vulgo tamen ad eum referrentur, argumenta sua superstruxisse; quia doctori, sermone populari doctrinam aliquam defendenti, licet etiam κατ' ἄνθρωπον disputare. Atque hoc argumentum eo minus potest urgeri contra adversarium subtilem, quia Apostoli, non formulis distinctis indicant, utrum argumenta ex eiusmodi oraculo repetant, an formulas, inde petitas, quasi proverbii loco usurpent. Sic v. c. *Eph.* 4, 8. verba διὸ λέγει plane non sunt definita. Nam quaeri potest, quis dixerit? utrum Deus, an script. sacr. an denique ἄνθρωπος (איש), vel λέγων, quo vocabulo intellecto, λέγει, per hebraismum valde frequentem posset impersonaliter accipi, *Daher sagt man.* Atque sic omnis difficultas evanesceret. Sed scriptores elegantiores accuratius indicant, se proverbio uti, v. c. *Cic. Fam.* l. 7, 3. mortem, cur optarem, multae (caussae sunt.) *Vetus est enim:* ubi non sis, qui fueris, non esse, cur velis vivere.

h) Hunc enim versum agere de Deo, qui tunc quasi triumphum agens adscendebat montem Zionium, cum arca, ei sacra, illuc transferretur, non de Messia, in coelum sublato, series orationis evincit, si hic Ps. per eam occasionem,

quae

quae 2 *Sam.* 6, 12 sqq. describitur, compositus est, in quo optimi quique interpretes huius aetatis consentiunt. Vid. *Schnurreri diss.* c. in initio et ad v. 18 et 19. Ceterum merae accommodationis nota inest Eph. 4, 8. in eo, quod, uti coniicit *Koppius* in *N. T. perpetua annotat. illustrato, Vol.* 4. p. 348 forte de consilio ἔδωκε pro ἔλαβες substituit Paulus.

i) Nam *Ioh.* ait, locum *Es.* in aequalibus suis exitum habuisse, cum *Act.* 28, 25 a Paulo dicatur de illorum maioribus agere. Nonne ergo indicatur id, quod de *Es.* aequalibus dictum erat, accommodari posteris ipsorum propter morum similitudinem?

k) Paulus enim *iustitiae, ex fide natae*, tribuit verba, quae *Deut.* 30, 12 de Mosaica lege intelligenda esse, contextus docet.

l) Non temere hanc rationem secutos esse Apostolos, docuit *Zachariae theol. bibl. P. I.* p. 135 sqq.

§. 4. Itaque tum demum nobis certo persuasum esse potest, in loco quodam N. T. vaticinium aliquod V. T. vere explicari de Messia, cum in eo demonstratur, id, quod praedictum sit, ei adeo proprium esse, ut alii regi, vel homini, plane non conveniat. Qua demonstratione utitur *Petrus Act.* 2, 25-31. ad efficiendum, *Ps.* 16 agere de Messia [a]), et v. 34. ad *Ps.* 110 eidem vindicandum [b]).

a) Ille nimirum demonstrat, v. 29. *Ps.* 16. v. 10. non convenire *Davidi, quia sepultus sit, eiusque monumentum etiamnunc reperiatur Hierosolymis.*

b) *Ps.* 110, 1. non quadrare in *Davidem*, ex eo ostenditur, quod *coelum non adscenderit.* Vbi eiusmodi demonstratione usi sint Apostoli, eorum auctoritatem sequendam esse, declarat etiam diserte *Doederleinius ad Ps.* 16. Eandem sententiam probat *Husnagelius. Diss. I.* p. 18.

§. 5. Atque adeo hinc discere licet, certissimam rationem demonstrandi, aliquod vaticinium de Messia agere, esse hanc, si ostendatur, ea, quae tradantur a propheta aliquo, non convenire, nisi Messiae, vel eius effato inesse notas, huic proprias. Qui modus demonstrandi adeo consentaneus est sanae rationi et sensui communi [a]), ut vel illi doctores ecclesiae antiquae, qui fere intemperantes essent in numero prophetiarum Messianarum augendo, ad hanc rationem confugerent, cum res ipsis esset cum adversariis [b]).

a) Eius quanta sit vis in omni interpretatione, demonstrat *Tellerus* ad *Turretin.* l. c. p. 106 sqq. Neque audiendos esse *imperitos clamores quorundam, qui huma-*

humanarum virium et rationis atque mentis potestatem ac vim a tractatione et consideratione rerum divinarum prorsus removent exagitando, monet iam *Camerarius de forma or. script. ev.*

b) *Iustinus Martyr* quidem, etsi *Ps.* 3, 6. repugnante inscriptione et orationis serie, ad Messiae in vitam reditum refert, tamen, cum *Tryphoni* demonstrare vult, quosdam *Ps.* a Iudaeis ad reges humanos temere esse translatos, ratione illa certissima utitur. Sic v. c. *Ps.* 110 ab *Ezechia*, qui non fuerit sacerdos, nedum sacerdos aeternus, alienum esse, p. 250. *ed. Colon.* *Ps.* 72 a *Salomone*, qui neque adoratus a cunctis regibus, neque evectus ad regnum, quod non, nisi finibus orbis terrarum, circumscriberetur, neque victor inimicorum, ad pedes eius provolutorum, dici posset, abhorrere, p. 252 satis subtiliter demonstrat. Eadem ratione *Theodoretus* in *Quaest.* 21. *ad* 2 *Reg.* vaticinium, 2 *Sam.* 7 obvium, et *in Comment.* in Psal. *Ps.* 2. et *Ps.* 22. Messiae vindicat. Ita etiam *Eusebius Demostr. Ev.* pag. 389. *ed. Col.* prophetiam *Dan.* 9. non, nisi Messiae convenire, ostendit. Simili ratione *Tertullianus* (p. 121 et 126 *ed. Paris.* 1580.) *Ps.* 2 et 45. et *Lactantius* (pag. 442. *ed. Walch.*) *Ps.* 110 et 2 *Sam.* 7. vaticinia Messiae plane propria continere, docent.

§. 6. Itaque etsi ex omni allegatione N. T. cui non aperta accommodationis vestigia sunt impressa, probabile videtur, locum V. T. ad Messiam aut ad religionis novam oeconomiam pertinere; atque adeo hoc certum est, cum scriptores divini demonstrationem talem, qualem paullo ante commemoravimus, addiderunt: is tamen, qui sibi plane persuaderi cupit, se nihil opinionis suae libidini dedisse, sed se in vaticinio aliquo hanc solam ob caussam invenisse Messiam, quia illud revera de eo agat, omnium tutissimae viae insistet, si occasionis, per quam auctor ad vaticinandum impulsus est, ratione habita, adiuvante usu loquendi, Hebraeis communi et prophetae proprio, notas eius, qui describitur, eliciat, deinde circumspiciat aequalem eum, qui vaticinantis animo obversari potuerit, atque tum demum, ubi viderit, ea, quae subiecto, de quo est sermo, tribuuntur, neque auctori, neque ulli eiusdem vel proximae aetatis homini, convenire, sed ea, vel singula, vel saltem coniuncta, in unum Messiam cadere, pronunciet, vaticinium illud esse Messianum. Cavendum autem est, ne ex uno vocabulo משיח, ישועה[a]), aut alio nomine communi argumentum ducamus, aut variae alicui lectioni, a nobis receptae, vel interpretationi, a nobis excogitatae, demonstrationem nostram superstruamus. Simulac vero ratione paullo ante descripta intellexerimus, alicui

loco

loco inesse certa Messiae criteria, scriptores N. T. consulere licet, ut videamus, an interpretatio nostra confirmetur illorum auctoritate, quam divinam esse, tum non dubitare possumus, cum ista conspiratio N. T. cum argumentis, ex oraculo V. T. ipso elucentibus, nobis praestat, in illo loco veram interpretationem proponi, non meram accommodationem. Hoc modo qui se certiorem reddiderit de veritate alicuius explicationis, is etiam in promtu habebit argumenta, quibus eam a dubitationibus adversarii peritissimi vindicare possit. Sic non difficile erit Ps. 2 [b]) Ps. 110 [c]) Ps. 16 [d]), quos quidam nunc prophetiarum numero eximere audent, eidem reddere.

a) Male ergo interpretes multi *Gen.* 49, 18. arbitrantur, ישועה Messiam significare, alienum ab isto contextu, cui longe aptior est haec interpretatio: *Ego vero in auxilio, quo tu ipse, Deus, populum tuum, a me oriundum, defendes,* (non vero in iis insidiis, quibus Danitae eminebunt,) *fiduciam meam pono.*

b) Hic *Ps.* qui *Act.* 4, 25. *Davidi* tribuitur, recte ab *Herdero* (vom Geist der ebr. Poesie P. 2. p. 395) referri videtur ad tempus, 2 *Sam.* 7, 1—18 descriptum, quia hoc suadent adeo formulae dicendi quaedam, ex isto loco repetitae. Nec mirum, si ille, qui audiverat, Deum ipsi et eius posteritati promittere regnum perpetuum, inde collegit, irrita fore consilia hostium, qui regnum regis, divinitus constituti, i. e. regnum ipsius Dei, essent aggressuri. Sed qualis rex describatur, ex ipsius carminis decursu omnium optime intelligitur; in cuius v. 6. Deum, v. 7. 8. 9. regem, ab eo inauguratum, loqui, facile sentitur; et cuius textus nulla eget emendatione, si memineris, ספר־אל per usum linguae hebraicae significare *narrando addere: Ego vero decreto* (v. sup. pronunciato,) *enarrando addo, quod Iehova mihi promisit.* Promiserat quidem Deus l. c. *Salomonem ipsi filii, se illi patris loco futurum.* Sed huic regi dixit: *tu es filius meus, ego hodie te genui*, i. e. hoc ipso die, quo te regem constitui, te a me genitum esse, declaravi; quae interpretatio locum habet, sive memineris *can. Glassii* (*Phil. S.* l. 3. *tr.* 3. *n.* 15. qui docet, *verba, quae actum significent*, ex quo genere est ילד, *parere*, *gignere*, *interdum actus illius declarationem* exprimere, sive intellexeris אָמַר, in carminibus saepe neglectum, *ego dico hodie: te genui.* גילו significat colite, sive cum *Herdero* ex significatu proprio *circuire*, *circumsistere*, sive cum *Anonymo* in *Crameri Beyträgen zur Beförderung theol. und anderer Kenntnisse P.* 2, 8. ex saltationum sacrarum, quae hoc verbo significari possunt, notione hunc sensum elicias. Insunt ergo, si usum loquendi sequaris, haec certe, quae neque *Davidi*, neque *Salomoni* conveniant: 1) Gentes et reges terrae imperium Iehovae et regis, ab ipso constituti, a se amoliri conabuntur, v. 1. 2. 3. At reges terrae, quae, uti collato v. 8. apparet, non potest esse Palaestina, nec *Davidi*, nec *Salomoni*, erant subiecti. 2) Formula: *tu*

es

es filius meus: ego hoc die, quo te regem Zionium constituo, *te a me genitum esse, demonstro*, indicat, hunc regem non eam ob caussam dici Dei filium, quia eum tanquam filium esset tractaturus, sicuti Salomonem, (2. *Sam.* 7, 14.) sed quia ab ipso vere genitus posset dici; nam hic בני circumscribitur per ילדתיך; contra vero *Ps.* 89, 28. ubi Deus dicit, se *Salomonem* effecturum primogenitum (scil. regum,) haec explicatio subiicitur: *sublimem inter reges terrae;* unde patet, *primogenitum regum* dici regem praecipuum; qui usus loquendi Hebraeis est satis tritus. 3) Gentes, usque ad fines terrarum incolentes, ei regendae promittuntur; sed *Davidi* et *Salomoni* vel in carminibus regnum, multo angustioribus circumscriptum limitibus, tribui, docet *Ps.* 89, 25. 4) Beati praedicantur, qui fiduciam in hoc rege sunt posituri. Sed in carminibus sacris Israelitae iubentur confidere soli Deo, vero ipsorum regi, non autem regi humano, eius vicario. *Ps.* 118, 9. 146, 13. *Mich.* 7, 5. Ipsum ergo tempus Ps. compositi, argumentum et contextus secundum usum loquendi indicant, hic agi de rege, humanis regibus longe maiore. Iam si contuleris *Ebr.* 1, 5. 5, 5. et inprimis *Act.* 13, 33. ubi Deus, quod huic regi promiserat *Ps.* 2, 7. dicitur praestitisse Iesu in vitam revocando, videbis, etiam scriptores N. T. hunc versum de Messia interpretatos esse, atque adeo Paulum, uti ex isto contextu sequitur, vocabula: *hodie te genui*, eodem, quo nos, sensu accepisse, aut, si malis, eo, quo *Schulzius* in *vers. vernacula*, *te regeneravi*, (simplici pro composito more hebraeorum posito,) i. e. te revocavi a morte. Praeterea v. 1. non reges et populos, qui *Davidi*, sed qui *Messiae* se essent oppositurі, intellexisse Apostolum, ex *Act.* 4, 25—28 patet, quia ibi docet, haec iam coepisse exitum habere, cum *Herodes* et *Pontius Pilatus* cum Iudaeis Messiae resisterent.

c) Hunc quoque Ps. eo, quod indicatur 2 *Sam.* 7, 18. tempore compositum esse, *Herdero* P. 2. p. 403 largiendum esse, putem. Poterat enim *Davidi*, cum in ipsius Dei quasi conspectu assideret, et felicitatem atque tranquillitatem, quae regnum suum, superatis hostibus, maneret, animo reputaret, in mentem venire eximia felicitas eius ex ipsius posteris, cui regnum perenne esset destinatum. Qua occasione Deus uti poterat, ad communicandum cum *Davide* oraculum, quo illum regem adeo in sui imperii societatem esset vocaturus, eique victoriam omnibus numeris absolutam promissurus. Potest vero ex hoc Ps. difficili, ne minima quidem emendatione admissa, commodus sensus elici. Sed de formulis, hic usurpatis, haec monenda sunt. Primum quidem per usum loquendi, etiam a *Davide* in carminibus observatum, *sedere ad dextram Dei*, non potest significare *defendi ab eo*, etsi verba, *Deus dexter nobis adest*, hanc vim habeant *Ps.* 16, 8. 109, 31. 121, 5. Quod facile concedet, qui observaverit, etiam in lingua latina sensu alio homines dici adesse diis, quam, quo dii dicuntur adesse hominibus. נדבות v. 3 mihi videtur idem esse, quod *Ps.* 68, 10. גשם נדבת, quia radix arab. significat etiam *leniter redundare*, ut monet *Michaelis in Coll. crit.* p. 515. Dicitur igitur exercitus huius regis adaequaturus guttarum pluviae, leniter decidentis

cidentis, multitudinem: cui interpretationi favet membrum parallelum: *ros iuventutis tuae* (poetice pro *iuventus tua*, *rori similis*,) *erit copiosior rore, qui ex utero aurorae prodit.* Conf. *Lowthus*, *de sacra poesi hebr.* p. 207. *Ps.* 133, 3. et *Mich.* 5, 6. Ceterum בהררי pro בהדרי legi auctoritate *Symmachi* et *Codd. Mss. hebr.* quorundam, non est necesse; nam vulgaris lect. contextui non minus apta est, ut demonstravit *Mich.* Sed si forma inusitata, etsi accommodata ad linguae hebraicae analogiam, in hoc carmine non ferri possit, per me liceat substituere מִשַּׁחַר, quod LXX, *Ar. Theod Versio* 5. *Orig. Vulg. Hieron. Syr.* expressere: מ vero tum nota genitivi esse videatur, uti passim in hebr. carminibus. At sunt, qui negent, ילדות eodem modo, quo latinorum *iuventus*, dici posse pro iuvenibus: concedi tamen debet, per usum loquendi poetarum orientalium *rorem iuvenilem*, i. e. in tali contextu, *multitudinem populi iuvenilis* posse significare huius regis exercitum. Hoc unum addo, *Velthusenium* in *expos. hymni Ies.* 26. p 33. monere, per טל ex usu linguae *arab.* indicari fortasse *fumantem adhuc sanguinem.* Hoc sumto, ne minima quidem lectionis varietate admissa, vel hoc dicetur: *exercitus tuus*, *vestibus sacris ornatus*, *tempore pugnae vitam suam pro te impendet*, (Conf. *Mich.* l. c. p. 516. 6.) *atque sanguis iuventutis tuae largius effundetur rore matutino;* aut, si malis, *uti*, vel *quia sanguis tuus iuvenilis rore matutino largius fluxit.* Post מלא, quod transitive dicitur, ex membro sequente pro more poetarum hebr. ארץ potest intelligi. V. 7. per usum futurorum, apud Hebraeos frequentem, verti potest, atque propter contextum debet: *In ipsa via ex rivis* (e sanguine hostium natis, uti ex v. praeced. colligi potest,) *bibendi ei erit copia.* Insunt ergo huic Psalmo haec fere, ex quibus possit agnosci, de quo agatur. 1) Ab ipso *Davide* dominus appellatur, in imperii divini societatem vocatus, v. 1. 2) Civium multitudo fere innumera eum ducem sequetur; vel, si liceat argumentum novum ex nova interpretatione elicere, hoc dicatur: cives innumeri impendent vitam in eius victoria comparanda, quia ipse sanguinem suum iuvenilem effundere non recusavit. 3) Eidem sacerdotium regium, idque aeternum, destinatum praedicitur. Haec omnia a *Davide*, *Salomone*, aliisque regibus humanis abhorrere, nec cuiquam melius convenire, quam Messiae, in quem et reliqua optime quadrant, facile potest sentiri. Idem diserte demonstratur in N. T. Nam *Matth.* 22, 43, 44. *Christus*, et *Act.* 2, 34. *Petrus* ostendit, initium huius *Ps.* in *Davidem* plane non cadere. Denique *Ebr.* 5, 6, 7, 17. demonstratur copiosius, quae dicantur v. 4. non, nisi in Messia locum habere.

d) De occasione, per quam hic Ps. sit *Davidi* a Deo inspiratus, non constat. Quoties enim poeta cogitaret de dignitate sacerdotium, cultum Dei in sacrario curantium, poterat ei in mentem venire id, quod ex oraculo, in Ps. 110 tradito, sequebatur, hunc sacerdotem veri Dei aeternum, adeoque immortalem fore: haec forte cogitanti videtur deus significasse, eum quidem, ubi mortuus fuisset, statim e sepulchro rediturum, et tum perpetuam voluptatem ad ipsam dextram ipsius, quibus verbis ad Ps. 110, 1. videtur respici, perceptu-

rum.

rum. Hoc carmen quidem habet multas lectionis varietates, ut ex *Mich. Colleg. crit.* p. 26 patet; paucarum tamen recipiendarum necessitas esse videtur. Has obiter indicabo. V. 2. אמרתי legi debet ob contextum, idque restitui potest ob auctoritatem versionum plerarumque, satis multorum Codd. Mss. et Edd. (Conf. *Kenn. Bibl.*) V. 3. vel אדירים, quod *Syrus* legisse videtur, et unde facile oriri potuisset *lect. Masor.* neglecto, ut fit, per compendium scribendi ם, vel וְאַדִּירֵי, suadente *Aquila*, est restituendum; quia status constructus non habet locum; ל vero intelligendum esse, ו praemissum, quod hoc vocab. nectit cum לקדשים indicare potest. תמיך v. 5 pronunciandum esse, תֹּמֵךְ *Koehlero (in Repert.)* quis non crediderit, cum hoc suadeant adeo libri illi, in quibus י omissum est? V 6. נחלתי, addicentibus LXX *Ar. Vulg. Syr.* vel saltem נחלה, *Codd. Mss.* quibusdam praeeuntibus, legi debet, cum status constructus etiam ab hoc loco abhorreat. Denique v. 10. חסידך esse veram lect. consensus versionum cum ingenti numero *Codd. Mss.* ab *Kenn.* usurpatorum et cum *Edd.* quibusdam docet. Iam pauca de sensu formularum dicendi difficillimarum! Verba ultima v. 2. verto accommodate ad usum loquendi: *bonum meum, quo non est maius*, (bonum meum summum.) V. 3 putem, per ל posse indicari casum, absolute positum, *quod attinet ad sanctos* (ad Dei veri cultores,) *et optimates meos*, (principes quasi in civitate, quae Deum colet,) *iis omnium maxime delector*, (hinc eorum felicitati consulo; nam antecedenti, diserte commemorato, consequens intelligendo saepe addendum esse, sciunt intelligentes.) V. 4. hoc dicitur: *Sed illos manent multi dolores;* (hanc enim vim habet עצבות *Prov.* 10, 10 etc. sed idola dicuntur עצבים,) *qui alium*, (*sacerdotem* cum *Tellero* in *Praeteritis* intelligo, quia sacerdos loquitur,) *muneribus ornant;* (habet enim מהר in *Kal* hanc vim, uti idem demonstrat.) Qui negant, מהר posse dici de salario sacerdotis, cum dotis significatio etiam in lingua arabica ei sit propria; concedent tamen, etiam ea munera, quibus quasi a parentibus filiam redimeret sponsus, sic dici, (uti vere dicuntur 1 *Sam.* 18, 25.) Eleganter ergo, hoc sumto, diceretur sacerdos, quo quasi conciliatore uti vellent illi in coniugio illicito, cum idolis ineundo, ab iis *dote* ornatus. In נעימים explicando v. 6 cum *Tellero* facio. Sensus v. 7. hic est: *qui mihi consulet, vel in iis noctibus*, (aut, si sumas, *plur.* poetice positum esse pro *sing.*) *in ea nocte, quae summo moerore me afficiet.* V. 10. sic vertendus videtur: *tu me non relinques in sepulchro*, quia praecedit, *etiam corpus meum*, (בשרי enim opponitur animo laetanti,) *tuto deget*, et quia sequitur, *neque tu permittes, ut ego, tibi carissimus, corruptionem patiar;* quod inesset vel tum, si largiremur *Tellero*, שחת non esse corruptionem, sed locum corruptionis. Iam verbis ad usum loquendi examinatis, si quis hunc Ps. legerit, is facile sentiet, 1) sacerdotem loquentem introduci, quod ex formulis, v. 4. usurpatis, etiam certius intelligitur, quam si ille כהן appellatus esset, quod nomen, latius dictum, etiam regi, (adeoque etiam

Davidi)

Davidi,) potuisset tribui, per usum loquendi, quem demonstrat *Tittmannus* noster in *progr. pasch.* 1783. Sed eiusmodi sacerdotis, qualis hic describitur, personam *Davides* nunquam sustinuit. 2) Ex v. 10 et 11 apparet, non intelligi posse aliquem ex sacerdotibus, quos *Davides* vidit mori, atque in putredinem abire. Ergo haec nulli sacerdoti alii conveniunt, quam Messiae. Demonstrari etiam in N. T. hunc Ps. non quadrare in *Davidem*, sed in Messiam supra monuimus.

§. 7. Cum vero ea, quae subiecto alicuius prophetiae tribuuntur, sunt eiusmodi, ut Messiae et regi alicui humano, vel auctori carminis, in quo ea traduntur, aeque sint apta, ex contextu orationis et consilio [a]) prophetae est definiendum, de quo potissimum ea sint intelligenda. Quod enim oraculum in eo loco ponitur, in quo per orationis seriem promissum de Messia futuro requiritur, id de eodem explicetur, necesse est. Ex hoc genere esse videtur *Es.* 7, 14. sqq. [b]) Id vero per se intelligitur, nobis non satis certo constare posse de veritate nostrae interpretationis, nisi contextus sit luculentus.

a) Difficilis quidem est orationis cum praecedentibus et subsequentibus nexus certa cognitio inprimis in carminibus, ut monet *Hufnagelius diss.* 1. p. 14. non tamen ille, qui consilium et nexum carminum graecorum latinorum et vernaculorum investigare didicerit, operam suam perdet, si eam etiam hoc consilio impenderit vaticiniis hebraicis.

b) Non temere quidem hoc vaticinium Mess. in dubitationem vocatum est ab *Isenbiehlio* l. c. et aliis, quia, quae argumenta repetuntur ab voc. עלמה et עמנואל, intelligenti non possunt probari. Nam incertum est, utrum femina, quae nunc esset virgo, an ea, quae in ipso partu virgo futura esset, indicetur, cum utrumque usus loquendi permittat. Et nomen *Immanuel* propheticum, uti illud, quo *Es.* c. 8, 3. filium suum appellare iubetur, potuisset etiam alii puero imponi, cuius nomine Deus voluisset populum admonere de auxilio suo. Sed ex occasione, quae facile potest ex v. 1—9. intelligi, non difficile est ad divinandum, consilium huius effati fuisse hoc, ut et domus regia et civitas Iudaeorum, metuens, sibi a Syris et Israelitis interitum iam impendere, vanum hunc esse timorem perspiceret. Porro ex eo, quod v. 11. propheta regi potestatem dedit, sibi expetendi divinae potentiae documentum, vel in terra ima, vel in coelo summo edendum, sequitur, v. 14 promitti eiusmodi miraculum inauditum, non tantum temporis, intra quod Deus reges inimicos esset sublaturus, indicium. Neque narratur, virginem aliquam adfuisse, cuius propheta rationem habuisset in hoc oraculo; eius vero commemoratio vix potuisset omitti, cum v. 3. adeo filius prophetae, ab eo adductus, diserte appelletur. Indicatur igitur, si contextum sequaris, illa

 virgo,

virgo, quae iam ab *Ef.* alibi, vel a *Mich.* aequali eius, indicata erat, c. 5, 2: ubi ea dicitur *genetrix* fcil. eius principis, quem propheta v. 1. ex *Bethlehemo* oriundum praedixerat. Ex hoc igitur, vel alio vaticinio, in memoriam revocato, familia, a *Davide* orta, fibi poterat perfuadere, fibi non timendum effe, ne hoftes, iam imminentes, victoria reportata, pro more victorum orientalium, domum regiam exftirparent. Neque populo hoc bellum valde periculofum fore, v. 16 docet; qui fuperiori ita nectitur: *Virgo, gravida facta, pariet filium, dignum, quem appellet Immanuel*, (fcil. quia, uti pofteris, ita iam vobis praeftat divinum auxilium,) *etfi eodem cibo, quo infantes tenuium, aletur, donec ad iudicii maturitatem pervenerit. Nam* (non temere ex pueri illius natalibus colligi, nunc neque familiae regiae, neque civibus interitum timendum effe, demonftrat,) *antequam hic puer* (quem a Deo iuffus v. 3. adduxerat, quem etiam *Blafchius*, multique alii interpretes hic intelligunt,) *ad iudicii maturitatem pervenerit*, (i. e. intra paucos annos, uti ex 2 *Reg.* 15, 30. coll. v. 27. et 16, 1. coniici poteft,) *regnum* (inimicorum,) utrumque, (poteft enim אדמה *collective* dici,) *quod tu iam averfaris, duobus his regibus deftituetur.* His obfervatis, non erit, quod cum *Blafchio* l. c. P. II. narrationem hanc mutemus in vifionem propheticam, invito, ut videtur, ufu loquendi. Hunc enim fi fequaris, non poteris non largiri, rem vere effe geftam. Nomen vero fymbolicum pueri non firmare illam coniecturam, ex 8, 3. et *Hof.* 1, 4. 6, 9. colligi poteft, ubi fimilia nomina, iubente Deo, imponuntur prophetarum filiis. Contra vero, cum vifum enarratur, tum eiufmodi formula ufurpatur, ex qua appareat, prophetae vel oculis, vel animo obverfatam effe aliuqam imaginem, (V. c. Ef. 6, 1. *Ego vidi*, et 63, 1. *Quis eft ille?*) Hoc igitur vaticinio ex contextu et loquentis confilio probato, non poteft dubitari, *Matth.* 1, 23. ineffe veram interpretationem: quod copiofius demonftravit *Dresdius* nofter in *progr. nat. Chr.* dicato 1780.

§. 8. De quibus autem vaticiniis, neque propria quaedam Meffiae nota, neque orationis feries certo pronunciat, ea etfi nequeunt defendi contra adverfarios acres, ab interprete tamen aequo et modefto de Meffia explicari poffunt, atque adeo debent, fi in N. T. ad Meffiam ita relata fint, ut eorum allegatio non fapiat accommodationem, (v. c. *Gen.* 12, 2. 3. 18, 18. 28, 14. coll. *Act.* 3, 25. 26. et *Gal.* 3, 8. 16.) contextus vero et ufus loquendi eiufmodi explicationem admittat [a]); aut fi contineant promiffum aliquod univerfale, tempori antiquiffimo accommodatum, eiufmodi tamen formulis expreffum, quae videantur Meffiae aptiores, quam alii fubiecto, praefertim fi loci paralleli, aut allufiones, in libris divinis obviae, hoc fuadeant. Ad hoc genus equidem retulerim *Gen.* 3, 15. coll. *Apoc.* 12, 9. 20, 2. [b]) et 2. *Sam.* 7, 12—16. coll.

Pf. 89,

Ps. 89, 30 sqq. c). Licet etiam omnino antiquiora vaticinia ex recentioribus explicare, quia posteriores prophetae priorum oracula saepe illustrarunt, et, cum iis, de oraculis superioribus cogitantibus, Dei monitu nova lux affunderetur, ea, quae in universum essent praedicta, accuratius etiam definiverunt. d)

a) Nimirum quia in N. T. occurrunt multae interpretationes verae vaticiniorum Mess. non est improbabile, eas reperiri in quolibet loco, in quo Apostoli ex V. T. aliquid probent, nisi ipsi vel ratione loquendi commutata, vel formula quadam obiter tantum adspersa, prodant accommodationem; aut contextus verborum V. T. obstet. Eiusmodi vestigium accommodationis non inest *Gal.* 3, 8. et *Pauli* explicationem admittit series orationis *Gen.* 12, 1. atque in locis parallelis; imo vero contextus quodammodo videtur requirere, ut, cum Deus praediceret, quanta felicitas maneret Abrahami posteritatem, etiam hoc adiiceret, per eam adeo gentes exteras fortunatum iri. Neque hanc interpretationem usus loquendi respuit; hoc tantum docet, נברכו et התברכו vel significare *per eum*, aut *per eius progeniem fortunabuntur*, vel *se felices praedicabunt*, vel *eo*, aut *eius posteritate commemoranda sibi* aut *alii ipsis prospera quaeque apprecabuntur*, cui postremae explicationi favet *Gen.* 48, 20. Sed huius formulae ambiguitas vaticinii sensum non reddit ambiguum; cum ipsa res loquatur, posterius non locum habuisse, antequam felicitas ab Iudaeis ad gentes exteras esset propagata per Messiam. Ceterum זרע per usum linguae hebr. eodem iure, quo vocab. *progenies* in carminibus latinis, posse intelligi de uno ex posteris, ex *Gen.* 4, 25. et *Gen.* 21, 13. etc. certum est.

b) H. l. allegoriam viderunt multi antiquo et nostro tempore; sed hoc non esse monumentum mythologicum, demonstrat *Eichhornius* (Urgeschichte P. 2. *Repertor.* P. 4. p. 193.) neque veritas huius narrationis labefactatur, si sumatur, hoc esse fragmentum carminis antiqui; nam salva est fides carminum historicorum, a Mose usurpatorum, quia iis hic vir divinus non usurus fuisset, nisi vera essent, quae in iis traduntur. Atque ipsa origo istorum carminum videtur eorum veritatem nobis praestare; nam si quis poeta antiquissimus eas sententias, quas *Adamus*, eo, quo tum fieri poterat, modo, cum Deus saepius primis hominibus tanquam monitor praesens adesset, a numine divino pronunciatas, enarraverat posteris suis, carmine simplici complexus est, (quae quidem opinio mihi videtur verisimillima,) non possumus dicere, ea, quae hic narrentur, esse ficta. Quod ne ei quidem concesserim, qui mihi demonstraverit, serpentem non vere esse locutum, quia hoc saltem largiatur, necesse est, eum vel tangenda arbore, vel fructum impune comedendo effecisse, ut Eva omnia illa cogitaret. Nam usus loquendi linguae antiquae, quae indolem orationis puerilis prodit, hanc quoque explicationem admittit; quia ista sententia: *serpens effecit, ut Eva haec cogitaret*, vel *serpens visus est haec Evae dicere,*

dicere, in tali lingua non alia ratione potuit exprimi, nisi illa; de quo eo minus dubitari potest, cum etiam postea *Gen.* 20, 3. ויאמר־אלהים vel לו significet, *ei*, (Abimelecho somnianti,) *Deus haec dicere visus est*, vel *has notiones in animo eius suscitavit.* Hinc, si vel maxime ne Deus quidem isto tempore vere locutus esset, concedi tamen deberet ab aequo interprete, Deum effecisse, ut homines primi ea, quae istis sermonibus exprimuntur, cogitarent. Hoc enim equidem non putem, nos largiri posse, istas minas Dei esse mera figmenta, nata ex iis, quae postea sint facta; quia id statuere nos non sinit ratio narrandi prisca, similis illi modo, quo pueri, loqui incipientes, utuntur. Nam ratio narrandi puerilis permittit quidem, ut ea, quae diverso tempore evenerint, in narrando coniungantur, ut *Gen.* 4, 1: sed ea non patitur, ut puer ea, quae ipsi acciderint, dicat, patrem sibi minatum esse, nisi verae minae eventum praecesserint. Ergo h. l. hic est sensus. *Tum quidem Deus serpenti*, (excusso forte ex arbore in pulverem,) *dixit*, (vel minari visus est:) *Quia tu hoc fecisti, omnium animalium abiectissimum, tu reptabis super ventre et, quoad vives, pulverem comedes*, (in pulvere iacere cogeris, conf. Ps. 102, 10.) i. e. homines te non sinent arbores impune adscendere, memores iacturae, quam per te fecerint. *Atque adeo inimicitiam conciliabo inter te et inter mulierem, inter tuam eiusque progeniem. Haec quidem caput tuum feriet, tu calcem eius.* At haec quidem sunt ambigua. Potest enim hoc indicari: tantum odium intercedet inter serpentem et homines, ut hi illum sint occisuri, ille hos sit vulneraturus. Quae interpretatio omnium maxime arridet recentioribus. Sed si haec esset huius loci sententia, mirari liceat, quidni oratio haec eadem, qua exorsa erat, concinnitate decurrat hoc fere modo: *mulier te feriet, et tu mulierem, mulieris progenies tuam progeniem interficiet, haec eius progeniem vulnerabit*: nec patet, cur demum progenies Evae futura illum serpentem, qui primis hominibus iniuriam fecerat, dicatur interfectura, et posteritatem Evae serpens ille, qui tum aderat, neque per naturae conditionem eam aetatem poterat assequi, quam homines illi primi, dicatur vulneraturus. Ergo ipsa ratio loquendi non tantum permittit, sed etiam quodammodo requirit, ut largiamur, his verbis inesse promissum de Evae quadam progenie, quae damnum, hominibus ab isto serpente allatum, esset reparatura, sed periculum non leve simul subitura. Neque in tanta linguae antiquissimae inopia haec sententia aliis verbis potuit exprimi, quam metaphoricis, repetitis ex vita ipsa, ex qua facile potuerunt hanc imaginem haurire, si forte viderunt caput alicuius serpentis a quadrupede fractum, cuius calcem vulneraverat. Atque haec quidem verba tropica longe clariora esse debuerunt primis hominibus, quam formulae *Ioh.* 3, 8. et *Ebr.* 2, 14. aut dictiones, etiam magis propriae, illis futurae fuissent. Erat porro hoc solatium, quod satis perspicue elucebat ex promisso isto universali, valde aptum isti tempori, quo sentiebant iacturam, quam fecerant a serpente decepti. Quod vero quidam nolunt concedere, hoc oraculo spectari Messiam, argumento ducto ab Apostolorum silentio, hoc plane mirum est, cum iam constet inter intelligentes, N. T. non esse librum systematice scriptum, neque huius effati

alle-

allegationem solam rem esse confecturam. Nec tamen spernendum est quod *Apoc.* 12, 9. 20, 2. ad h. l. alluditur, et quod 2 *Cor.* 11, 3. *serpens* quidem dicitur decepisse Evam, at *Ioh.* 8, 44. *diabolus.* Cuius mentio l. c. fieri non poterat, quia eius nullam primi homines habuerunt notionem.

c) H. l. non ex verb. *ego ero pater eius*, sequitur, agi de Messia, etsi ea huic *Ebr.* 1, 5. accommodantur; nam contextus ea refert ad eam *Davidis* progeniem, quae possit peccare; sed ex v. 13. ubi regnum eius dicitur *aeternum*, continuandum quippe a Messia. Quam interpretationem usus loquendi et contextus admittit; promissum autem Ps. 89, 30 seqq. repetitum, requirit, quia לעולם explicatur per כימי שמים, v. 30. per כשמש, v. 37. et per כירח, v. 38.

d) Hoc iam agnovit *Iustin Mart. c. Tryph.* p. 294. idque comparandis vaticiniis recentioribus cum antiquis intelligitur. Conf. *Seileri progr. de divin. not. ab hum. in interpr. vatic. caute discernend.* p. 11. Non ergo omnes fere prophetae materiam, ex Mosis libris haustam, tantum aliis imaginibus exornarunt.

§. 9. Ut vero eorum locorum, in quos per usum loquendi et contextum duplex cadit explicatio, ea est praeferenda, quae vel locis N. T. parallelis, vel ei, quod vere evenisse, ex historia constat, est accommodatissima, quia eventus optimus obscurorum vaticiniorum est magister[a]), ita etiam aequi interpretis est, in explicandis iis locis priscorum carminum, in quibus gentes vel reges omnes in Dei aut regis alicuius colendi et adorandi societatem vocantur, Israelitis liberatio a peccatis promittitur, Dei regnum aeternum appellatur, neque contextu eiusmodi interpretationem necessario requirente, neque Messiae aut regni Messiani notis luculentis additis, unicuique optionem facere vaticinia, quae iis insunt, prophetiis Mess. annumerandi, vel inde eximendi [b]). Huius generis est *Ps.* 117. 138. 130, 8. 146, 10. At eiusmodi oracula certis vaticiniis accensere non licet, nisi temporis notam impressam habeant, ex qua Messiae aetatem agnoscere nos iubeat historia, ut *Gen.* 49, 10.[c])

a) Insunt enim vaticiniis quibusdam imagines obscurae. Cuius obscuritatis caussa praecipua erat haec, quod notiones novae verbis iam usitatis, sed tropicis, exprimendae erant, si tum deberent intelligi; interdum tamen eam creabat ipse aditus, quem animus peccatis eorum, quos alloquebatur propheta, iratus, sibi patefaciebat ad vaticinium. *Iacobus* quidem, uti iam *Theod.* in *Quaest.* 110. ad *Gen.* 49. observat, id, quod Levi praedicit, ita eloquitur, quasi poenam illi annunciaret. Sed istam dispersionem Levitarum dignitati datam esse, exitus docuit, atque sic omnem obscuritatem sustulit. Licet igitur ex N. T ea, quae in V. T. vel sunt paullo obscuriora, vel non satis definita, ex N. T. et universa historia definire; conf. *Seilerus* p. 13. Nec tamen fas est, sic ea inferre prophetiis, quae iis ex usu loquendi plane non insint.

b) Cf. *Seiler.* p. 10.

 c) Eius-

c) Eiusmodi vaticiniis, ex historia illustratis, *Grotius* adeo usus est in demonstranda veritate rel. christ. p. 259. quibus iam *Iustin. Mart. c. Tryph.* p. 271. annumeravit *Gen.* 49, 10. At h. l. varias admittit interpretationes. Hinc *Tellerus* in *not. crit. et exeg.* contendit cum aliis, עד כי יבא שילה: *usque dum venerit Siluntem*, et *non recedere a pedibus alicuius* significare posse, *constanter ductum alicuius sequi.* Recte quidem; at contextus repugnat. Cum enim v. 8. praedictum sit, fratres Iudam esse adoraturos, probabile est, v. 10. huic tribui regnum promitti, non autem indicari, eam reliquas in itinere praecessuram, cf. *Num.* 2. Hinc aptius ad seriem orationis *Barthius* (*in d. klein. Bibel,*) *Iuliano* praeeunte, putat, praedici, regiam maiestatem ei mansuram, *bis der kommt, der da kommen soll, der Völker-Unterjocher*, (Nebucadnezar.) Verum ex totius carminis oeconomia apparet, Iacobum et hoc agere, ut Iudae laetissima quaeque praedicat. Huic ergo accommodatior est vulgaris explicatio: *Non removebitur regnum a Iuda*, *neque ei deerit legislator*, (aut *dux*, ut *Iud.* 5, 14.) *donec venerit tranquillator*, *cui obedient populi.* Nam מרגליו verti posse per pronomen, docet *Ernesti Op. philol.* p. 173. Possit tamen h. v. reddi: *neque viris eius fortibus dux deerit.* Nam ברגליו sic dicitur *Iud.* 5, 15. Cf. *Teller* ad h. l. *Exod.* 12, 37. et *Num.* 11, 21. etc. Etiam Arab. רגל *virum* et *virili animo praeditum* significat. At v. שילה, ab שלה ducti, neque formam, neque significationem convenire cum analogia linguae, monet *Simonis arcan. form. nom.* p. 425. qui auctor est p. 131. ut vertamus, *donec proles eius venerit*, ה pro affix. ו accepto. *Dathius* tamen cum *Gülchero* mavult שֶׁלֹּה eodem sensu. Alius, notante iam *Coccejo*, שַׁי לֹה legi vult, *donec munera afferantur ei*, et *Anonymus* (in l. *Etwas ueber* 1. *Mos.* 49, 10. *Hamb.* ed.) etiam יביא, *bis daß er Geschenke ihm bringt.* Sed huic coniecturae ego praetulerim שֶׁלֹּה, quod LXX et al. atque adeo duae vers. *Samar.* expressere, quod confirmant text. *Samar.* et 27. *Mss. hebr.* qui י negligunt, quod nuper defendit *Genselius* ad *vers. c.* 49 *Gen.* quod denique probat *Mich.* (*Bibl. orient.* P. 9. pag. 217.) Nec שׁ, quod Chaldaismum sapit, est alienum ab h. l. cum loquatur Iacobus cum filiis, in *Mesopotamia* educatis. Sed etiam haec lect. est ambigua. *Schulzius* quidem in *schol.* ad h. l. putat, *Ex.* 21, 27. h. l. supplere per משפט. Possit tamen, vel שבט, intellecto, *donec venerit is*, *cui regnum destinatum est*, vel מחוקק repetito, *donec venerit is*, *qui ipsius Iudae erit legislator*, vel יבא suppleto, verti, *donec venerit is*, *qui ei venturus est*, *i. e. mittendus*, uti habent *Vulg.* et *Hieron.* Simplicius etiam fuerit verb. subst. intelligere: *donec venerit is*, *cuius ipse Iudas erit*, (quasi peculium,) *et cui etiam gentes exterae obedient.* Itaque in maxima lectionum et interpretationum varietate prodit fere semper sensus, Messiae conveniens. Quem uti fere requirit contextus, ita eius veritatem nobis praestat historia. Conf. *Schulzii schol.* ad h. l.

§. 10.

§. 10. Ne adversariis ansam praebeamus, omnem rationem interpretandi vaticinia Mess. in suspicionem adducendi apud eos, qui ultra vulgus sapiunt, prudentis interpretis est, ea vaticinia, quae, nisi orationi contextae aut usui loquendi vim facere sustineas, non possint de Messia explicari, dubitantibus condonare. Non ergo sequendi sunt, qui *Ps.* 8.[a]) vel *Cant. Cant.*[b]) ad Messiam et eius regnum referunt, atque, ut hoc efficiant, ad allegorias delabuntur.

a) Videtur nimirum *Ebr.* 2, 6—9. *Ps.* 8, 5 sqq. de Messia intelligi. Verum v. 8. *pronomen* non ad Christum, sed ad hominem, h. l. commemoratum, referri debet; monente *Moro* ad h. l. deinde apostolus indicat, si vocabulum *omnia* urgeamus, non *omnia* posse dici generi humano subjecta, sed sensu strictissimo haec nobis licere Christo accommodare (Cf. *Mor.* ad h. l.) Neque ex eo, quod Messias ipse *Matth.* 21, 16. v. 3. ad id refert, quod tum evenerat, effici posse, hanc esse prophetiam Mess. inde intelligitur, quod neque occasio, per quam Ps. compositus videtur, neque series orationis, neque usus loquendi hanc explicationem admittit. Etenim non perspici potest, quomodo *Davides*, nocte quadam serena versatus forte in agris, contemplando coelo in admirationem conditoris huius universi abreptus, potuerit mirari, Deum filii sui, (Messiae,) rationem habiturum, eumque regno amplissimo praefecturum. Id vero facile potest intelligi, poëtam, cum, Dei majestatem ex operibus adeo augustis elucere, observaret, collata cum ea hominum mortalium tenuitate et indignitate, obstupefactum, non potuisse sibi temperare, quin pronunciaret, plane mirificam esse eam Dei indulgentiam, qua mortali omnia, quae haec terra contineret, assignasset, tanquam domino. Neque usus loquendi poëtae permittit, ut v. 7. כֹּל de regno Messiae intelligatur, cum hoc vocab. commemorandis singulis quibusdam animalium generibus, usui hominis destinatis, poëtice explicetur, atque sic indicetur, respici ad Gen. 1, 29. et 30. Quam ridiculas interpretationes pepererit opinio eorum, qui putarent, Ps. h. agere de Messia, docere potest *Van Til*, qui ait, allegorica interpretatione admissa, christianos esse oves, eorum praefectos boves, feras, barbaros etc. Hunc vero Ps. non convenire Messiae, jam docuit *Barthius* theol. olim Lips. in *progr.* memoriae n. Chr. 1773. scripto.

b) Cf. *Proleg. meae vers. Cant. Cant.* vernaculae praemissa.

§. 11. Cum constet, prophetas, ut metaphoris saepissime, ita interdum etiam allegoriis usos esse, non suspecta dici potest omnis interpretatio, quae allegoria nitatur. Veruntamen eam in aliquo vaticinio locum habere, tum demum certum est, cum ejus necessitas demonstrata fuerit, vel ex eo, quod verborum proprius significatus efficit sententiam, si non ab omni veritate, tamen a contextu orationis, aut ab

usu loquendi, Hebraeis omnibus, sive poetae huic proprio, denique a natura rei alienam, vel ex verbis propriis, quibus ab ipsis auctoribus interpretibus quasi ansa allegoriae tenendae exhibetur,[a]) quod fit v. c. *Ez.* 16, 2. 26—29. 46.[b]) Ps. 80, 9. 18.[c]) atque interdum etiam in prophetiis Mess. v. c. Es. 11, 6—9.[d]) Verum omnino et ii, qui in iis carminibus, in quibus neque allegoriae, neque sermonis figurati nota inest, et quorum contextus non jubet in loco continuo rei, propriis verbis expressae, aliam interpretando subjicere, atque vim verborum propriam deserere, vaticinii Mess. eliciendi caussa, ad allegoricas interpretationes confugiunt, et illi, qui in explicandis poëmatibus, quae allegoria, aut prosopopoeia, aut alia figura exornata esse, series orationis luculenter docet, singulorum verborum proprietati inhaerent, ut ea vel Messiae vindicare, vel ei eripere possint, intemperantia utuntur in prophetiis Mess. vel ad infinitam fere multitudinem augendis, vel ad summam paucitatem redigendis.[e])

a) De hac re consule *Telleri excurs. de indiciis sermonis parabolici* ad *Turretin.* p. 177. sqq. et *Mori progr.* quo ostenditur, *quibus caussis allegoriarum interpretatio nitatur.*

b) De h. l. diximus in *prol.* vers. *vern. Cantic. Cant.* praemissis p. 5.

c) H. l. vitem ex *Aegypto* transplantatam, quae metaphora abit in allegoriam, esse populum Israeliticum, significat poëta hoc additamendo: *ejectis gentibus* eam plantasti, et *populo* diserte *nominato* v. 18.

d) H. l. imaginibus iisdem fere, quibus poëtae graeci atque latini aetatis aureae reditum pingere solent, describi felicitatem et amicitiam mutuam, qua homines, ab omni antea humanitate alieni, usuri essent, ubi verae religionis disciplina eorum mores emollivisset, eosque cum gentibus, olim sibi infensissimis, arctiori vinculo constrinxisset, v. 9. indicat, caussam consuetudinis animantium saevissimorum innoxiae adjiciens hanc: *quia omnia cognitionis Dei tum erunt plena.* Ejusmodi vero imaginibus nil, nisi felicitatem, incolumitatem et tranquillitatem eximiam significari, vel ex *Virg. Ecl.* 4, 21. sqq. discere licet.

e) V. c. Qui, praeeuntibus ecclesiae christ. antiquissimae doctoribus, *Prov.* c. 8. et 9. *sapientiam hypostaticam*, quam dicunt, i. e. filium Dei aeternum, loquentem introduci statuunt, hoc faciunt, invito contextu verborum. Nam cum c. 9, 13. *stultitiae*, quae huic *sapientiae* opponitur, affingatur oratio, ipsa lex oppositionis, qua certior non potest excogitari, requirit, ut etiam in sermone sapientiae prosopopoeiam agnoscamus. Neque ab ea aliena sunt attributa, quibus filium Dei hic indicari, putant. Quis enim neget, sapientiam, cujus vestigia luculenta Deus omnibus rebus creatis impressit, aeque aeternam esse, atque Deum ipsum. Sapientiae

vero universae praestantiam cum poëta vellet commendare, haec introductio ejus consilio erat aptissima, a quo plane abhorrere filii Dei descriptionem, indicat *Doederleinius* in *praef. vers. germ. Proverb.* praefixa et in *schol.* ad *Prov.* 8, 22. De h. l. consuli potest etiam *Tellerus* l. c. p. 193. Uti vero hi peccant, qui h. l. prosopopoeiam non agnoscunt, ita non minus peccare videntur, qui Ps. 45. numero vaticiniorum Mess. eximunt, interpretatione allegorica h. l. non admissa; etsi eam consilium hymni sacri necessario requirat. Nam 1) si, quae laudes regis insunt v. 3. 6. 18. referrentur ad *Salomonem*, filiam *Pharaonis* in matrimonium ducentem, qui belli fortitudine in regno pacifico, divinitus illi promisso, eminere nunquam potuit, hoc carmen adulatoris humillimi ab usu sacro esset alienissimum. Sed si statuamus, imagine regis fortissimi, parta victoria a Deo eximie exornati, Messiam indicari, omnia bene conspirant; nam et hic omnium hominum praestantissimus (v. 3.) gentium, quas civitati suae adjunxit, victor (v. 6.) dici potest, omniumque est dignissimus, qui per omnes generationes celebretur (v. 18.) Plura etiam insunt, quae a *Salomone* plane abhorrent, Messiae autem optime conveniunt. Nimirum, 1) hic rex v. 7. et 8. dicitur אלהים. Nam vix potest concedi, formulam, *thronus tuus est Deus*, posse adhiberi pro: *Deus est auctor throni tui*, cum nuspiam sic dicatur, et cum, עולם ועד praedicatum esse, vel inde liceat colligere, quia Deus non auctor, sed conservator hujus imperii per omnem aeternitatem futurus, dici poterat, atque etiam ex 2 *Sam.* 7, 13. et ex *Ps.* 89, 29. pateat, in similibus formulis, de regno Messiae usurpatis, in עולם, vel synonymis, semper inesse regni istius attributum, non Dei. Iam Dei nomen solet quidem tribui consessui judicum, quoniam hi vere Dei personam in theocratia sustinent, cum ex ejus legibus, aut ex ejus oraculo caussas dijudicant. (Cf. Exod. 21, 6. 22, 8. et Ps. 82, 1.) aut Dei auctoritate cum aliquo agunt, aut alicui aliquid, ejus nomine agendum, mandant. *Exod.* 4, 16. 7, 1. Sed praeter hanc caussam ne hi quidem hoc nomine unquam distinguuntur; atque, cum victor nunquam sic sit appellatus in carmine quodam divino, omnium minime rex, nuptias celebrans, sic dici potest per usum loquendi. 2) Ejus regnum dicitur perpetuum v. 7. quam regni perpetuitatem certe non praestare poterat matrimonium, cum filia regis Aegyptiaci initum. 3) V. 10. plures regum filiae huic regi commemorantur adductae, sed *Salomoni* tunc una tantum in matrimonium data est. Messiae contra plures nationes, quae per prosopopoeiam, valde usitatam poëtis hebr. filiae regum dici poterant, sunt junctae. 4) Denique significatur, v. 17. hunc regem toti terrae praefecturum suos filios. At vero *Salomonis* unus tantum filius dimidiae parti Palaestinae praepositus est, sed filii Messiae, i. e. cultores Christi, plures regna in universo terrarum orbe administrarunt omni fere aetate. Quis igitur vereatur h. l. allegoricam interpretationem admittere, cum haec omnia eam requirant, et cum adeo proclive sit, in ista regis filia, quae jubetur domum paternam oblivisci, agnoscere gentem judaicam, ritibus majorum plane addictam? Accedit denique *Pauli* auctoritas, qui *Ebr.* 1, 8. 9. quosdam hujus

Pſ. verſus de Meſſia explicat. Etiam *Doederleinius* in Schol. hunc Pſ. ad Meſſiam refert.

§. 12. Quia autem in iis vaticiniis, in quibus agitur de regno Meſſiae propagando, ejus ſedes, ad quam venturae ſint omnes gentes, dicitur *Zion*, *Hieroſolyma* etc. atque etiam Iudaei et omnes populi dicuntur illuc redituri, quaeritur, utrum in ejusmodi locis haec ſint nomina propria, an allegorica, omnesque ab iſto reditu et aditu montis ſacri repetitae formulae proprie, an tropice ſint intelligendae? Haec enim quaeſtio nunc eo gravior eſt, cum etiam inter liberalioris interpretationis peritiſſimos reperiantur, quibus haec opinio arrideat[a]), atque ex eo, quod jam plures principes chriſt. incipiunt majore erga gentem judaicam aequitate uti, poſſit aliquis ſpem concipere, fore, ut hac ratione toti huic populo aditus pateſiat, ad religionem Chriſt. recipiendam. Iam quidem hujus opinionis fautores inprimis provocant ad vaticinium, a *Paulo Rom.* 11, 25. 26. propoſitum[b]); ſed obſervandum eſt, non certo poſſe demonſtrari, in iſto loco praedici univerſalem gentium omnium, inprimisque Iudaeorum, converſionem ad religionem chriſt. Primo enim πλήρωμα τῶν ἐθνῶν ex uſu linguae hebr. multitudinem gentium ſignificare, conſtat inter intelligentes[c]); deinde πᾶς ἰσραὴλ in iſto loco non poteſt ſignificare Iudaeos ad unum omnes, quia apoſtolus, c. 9, 24—27. probaturus, non tantum ex Iudaeis, ſed etiam ex gentilibus ad religionem judaicam vocatos eſſe quosdam, provocat ad *Eſ.* 10, 22. qui praedixit, *reliquias tantum Iſraelitarum ſervatum iri* [d]). Accedit et hoc, quod loc. *Eſ.* 59, 20. a *Paulo* h. l. commemoratus, ne indicat quidem, *Iacobeos ad unum omnes* ſervatum iri. Itaque ex ſolis vaticiniis V. T. haec quaeſtio eſt dijudicanda; ea vero ſunt ejusmodi, ut, ſi ſumamus id, quod eſt certiſſimum, prophetas ſemper formulas dicendi et imagines repetiiſſe a rebus, ipſorum aetati notiſſimis, quo facilius intelligerentur ab aequalibus[e]), commode poſſint explicari de religionis chriſt. in monte Zionio ortae, ad omnes gentes propagatione. Etenim cum in V. T. huic monti verae religionis cultus ita eſſet alligatus, ut, quicunque haec ſacra recepiſſet, ejus eſſet, ſubinde adire templum Hieroſ. in quo ſolo ſacrificia offerre licebat, prophetae, cum vellent praedicere, gentes exteras in communionem ejus religionis, quae nata eſſet in monte Zionio, venturas, non luculentiore imagine uti poterant,

erant, quam ea, qua pingerent nationes illas, Hierosolyma adeuntes, aliisque picturis, ab ista re ductis. Saepe etiam iidem notas adjecere, ex quibus intelligi posset, non tam indicari conventum populorum in urbe *Hieros.* aut in terra, Deo olim sacra, quam potius Messiae cultum et adjunctionem ad ejus civitatem. Hinc nomen urbis *Hieros.* eodem jure potest insignire ecclesiam christ. quo nomen *Eliae Mal.* 4, 5—6. *Ioannem*, huic prophetae similem, significat, ut ipse Christus declarat *Matth.* 11, 14. et 17, 14. Eadem ratio est vaticiniorum eorum, in quibus Deus dicitur iterum revocaturus Iudaeos ex iis populis, in quibus essent versaturi, imagine repetita a reditu ex *Babyloniensi* exilio. Haec illustrari possunt ex *Es.* 2, 2. sqq.[f]) et ex *Es.* 11, 10 sq.[g]) Eodem modo judicandum esse de imaginibus, repetitis ibidem et alibi ab hostibus victis, nulla demonstratione eget[h]). Ceterum, his oraculis cum omnium temporum historia collatis, intelligi potest, ea, quae praedicta sint, non una eademque aetate, sed paullatim evenisse. Hinc negare non licet, iis etiam praesignificari eam religionis propagationem, quae jure speratur etiam in posterum[i]).

a) v. c. *Michaeli* in *vers. germ. V. T.* passim.

b) Cujus loci quanta sit difficultas, facile intelliget quilibet ex dissensu praestantissimorum interpretum, qui contulerit v. c. quae ad h. l. *Grotius*, *Wetstenius*, *Semlerus*, *Cramerus*, Cancellar. Acad. Kilon. (in vers. germ.) *Doederleinius* (in libello *Giebt die Bibel uns Hoffnung zu einer allgemeinen Judenbekehrung?*) denique *Koppius*, cui haec spes non est improbabilis, et alii, annotarint.

c) *Ernestius* quidem in *Bibl. theol. Vol.* 10. *p.* 515. *Semlero* non tantum largitur, πλήρωμα ἐθνῶν *majorem partem gentium* significare, sed adeo ait, demonstrari potuisse, πλήρωμα τινὸς neque ex hebraismo, neque ex graecismo universitatem, sed tantum totum aliquod, alicui rei destinatum, indicare posse. Id certum est ex oppositione, *Gen.* 48, 19: מלא גוים non omnes, sed plures gentes significare.

d) Πᾶς vero per usum loquendi hebr. exprimere posse *reliquos*, facile concedet, qui observaverit, *Lev.* 4, 7. etc. כל־דם non posse significare, nisi reliquum sanguinem, quia ejus pars v. 5. 6. 7. jam alii usui destinata dicitur. Atque adeo h. l. contextum requirere, ut πᾶς ἰσραὴλ reliquos Israelitas indicet, ex eo certum est, quod hic respicitur ad v. 25. ubi pertinacia et animi obstinatio dicitur accidisse ἀπὸ μέρους, (vel ἐκ μέρους) τῷ ἰσραήλ, i. e. quibusdam Israelitis, observante *Grotio* et *Koppio*; πᾶς ergo non ad unum omnes, sed reliquos, qui remanent, exceptis iis, quorum animus est obstinatus, significat. Arcanum vero divinae providentiae, quod cum Roma-

nis

nis communicat apost. inest tantum v. 25. cujus sensus fere hic est: *Quia vos putatis, Deum jam totam gentem jud. repudiasse, scitote, non, nisi quibusdam Israelitis accidisse tantam pertinaciam in spernendo Messia* (ipsa Dei providentia permittente) *donec multae gentes intrarint Christi civitatem.* (Debebat enim, Deo sic gubernante, haec res hanc vim habere, cf. v. 11. 12. ut gentes exterae, allicerentur ad religionem recipiendam, atque ἄχρις οὗ non necessario tempus, sed etiam consilium notare posse, et h. l. vere notare, demonstrat *Bauerus* in Log. *Paul.* p. 100.) Iam vero v. 26. incipit *Paulus* demonstrare, in omnibus reliquis Israelitis, qui non obstinato animo religionem spreturi sint, exitum habituras prophetarum de hac re praedictiones.

e) Nec prophetas talia suis aequalibus clarius potuisse exprimere, quam ejusmodi imaginibus, docet *Vitringa* de *Synag. vet. Prolog.* c. 6. *Cf.* l. 1. *p.* 2. c. 10.

f) H. l. et loc. paral. *Mich.* 4. 1 — 5. agi de religione, *Hieros.* nata, recipienda, propheta indicat, cum ipsas gentes introducat dicentes, se propterea templum Hieros. adituras, ut Iehova ipsas doceret praecepta, ad quae vitam suam possent componere. Neque istam religionem monti Zioni adstrictam mansuram, significatur v. eod. *nam ex Zione prodibit doctrina* etc.

g) H. l. non tam *Hierosolyma*, quam progeniem *Isai*, i. e. Messiam, dicuntur adituri populi exteri, atque haec ad propagationem relig. Christ. refert quoque *Paulus Rom.* 15, 12. Sed v. 11. et 12. ubi Deus dicitur *iterum* revocaturus populum suum ex nationibus exteris, ipse propheta, voc. שנית addito, significat, se non reditum ex *Babyl.* exilio in patriam, sed alium, ab eo diversum reditum ad theocratiam, i. e. ut historia docet, ad eam religionem, quae, inde ab *Hieros.* propagata, civitatem etiam Dei in toto orbe terrarum esset constitutura, intelligere.

h) *Ibid.* imaginem, a vincendis gentibus inimicis repetitam v. 14. eadem ratione accipiendam esse, nexus docet. Adspersis igitur subinde notis, ex quibus pateret, non agi de rebus terrenis, satis consuluerunt prophetae ambiguitati evitandae.

i) Etsi ex iis, quae diximus, elucet, non recte sperare quosdam verum reditum in urbem *Hieros.* et *Iudaeorum* et gentium exterarum conversionem universalem ad veram religionem, tamen plures et *Iudaeos* et barbaros *Christi* doctrinam in posterum recepturos esse, divinare licet ex ea ratione, qua Deus semper usus est in genere humano educando. De hac re consuli potest *Lessius l. c.* p. 164. Atque hac spe expleta, ipsa illa vaticinia magis magisque ad exitum ducentur; nam in iis non certum tempus indicatur, quo Deus propagaturus sit religionem Christ. sed ista propagatio in universum praedicitur.

§. 13. Iam cum vel ex his appareat, prophetas non minus, quam poëtas profanos, in carminibus suis quaedam ornatui dedisse, operae pre-

pretium est, disquirere, an inde colligi possit, in nullo vaticinio aliquid definiri, sed in omnibus tantum in universum aliquid tradi, atque adeo singulas, quae interdum commemorentur, περιστάσεις non praedictas, sed imagini propheticae exornandae datas esse. Nam hujus quaestionis dijudicatio, uti vel ad augendam, vel ad minuendam prophetiarum Mess. certitudinem facere potest [a]), ita ad rationem eas interpretandi, hucusque usitatam, vel confirmandam, vel plane immutandam, magnum momentum habet. Iam quidem quia formulis dicendi, quae quam latissime pateant, adiectis neque temporis notis, neque aliis adjunctis significetur, felicitatem genti alicui promittere, non superat ingenium humanum, contra vero, quae praedictiones plane sunt circumscriptae hominum, temporum et locorum commemoratione, aut descriptione perspicua, non casu exitum habere possunt, sapientissimi quique oraculorum divinorum aestimatores recte demonstrarunt, hac potissimum re differre vaticinia vera a fictis [b]). Utrum vero in V. T. occurrant oracula, quae res futuras earumque adjuncta plura satis diligenter et accurate describant, id quidem omnium certissime definiri potest, historia comparata cum oraculis divinis. Qua comparatione instituta, facile erit ad intelligendum, humano generi non tantum felicitatem, in universum praedictam, contigisse, sed illud adeo has ipsas ejus partes, quae in vaticiniis luculenter descriptae reperiuntur, consecutum esse, in primis illas nationes, quae a prophetis diserte sint commemoratae, neque tantum natum esse aliquem ejus felicitatis auctorem omnino in orbe terrarum, sed nominatim in ea terra, in eo loco, ex illa gente, et illo tempore, cui ejus natales multa secula ante fuerint assignati, neque eum tantum, quocunque demum modo fieri posset, fortunasse homines, sed ea plane ratione, quae erat praesignificata, eique etiam non modo res praecipuas, sed minutissimas quasque, evenisse, quas prophetae V. T. a se provisas denunciassent. Quae omnia cum non fortuito concurrere potuerint in uno eodemque subjecto, quis neget, extare quasdam saltem prophetias Mess. plane definitas [c]), etsi in antiquissimis oraculis in universum tantum promittatur aliquis, qui gentes felices esset redditurus, quia hoc isti aetati, impari adeo pluribus capiendis, sufficiebat, et quia hanc rem plane admirabilem Deus pro sua sapientia non, nisi per gradus volebat innotescere [d]), neque negari possit, oraculorum, obiter tantum adspersorum, eandem esse rationem,

 quip-

quippe a quibus aliena fuisset copiosior et accuratior Messiae descriptio. Ipsa ergo historia, ex qua sola res historicae sunt judicandae, refellit eos, qui sumunt, posteriores prophetas repetiisse tantum priorum oracula, ornatu quidem, suae aetati accommodato, non autem notionibus novis adjectis. Atque ea, quae olim in universum tantum essent praedicta, et jam vulgo nota, paullatim magis magisque esse definita, ipsa singulorum vaticiniorum comparatio docet [e]). Neque genus dicendi poeticum requirere, ut in oraculis divinis explicandis singulas res, accurate descriptas, pro meris imaginibus habeamus, quibus vaticinium sit exornatum, easque ad universalem aliquam notionem revocemus, nos docere possunt vaticinia, *ab Homero* (v. c. *Odyss.* l. 11, 99. seqq. et 180 sqq.) et a *Virg.* (v. c. *Aen.* l. 6, 83. et 759.) aliisque poëtis graecis aut latinis passim ita ficta, ut in iis singulae περιστάσεις commemorentur; quas postea, exitum habuisse, narrant [f]).

a) Hoc usus etiam nostrae aetatis testatur. Nam simulac haec sententia in libris quibusdam egregiis, lectis et relectis pro sua dignitate a pluribus, proposita esset; ea jam abuti coepit is, qui *Berolini* edidit 1783. *Freymüthige Versuche über verschiedene in Theol. u. bibl. Kritik einschlagende Materien.* Nam hic in *diss.* 1. prophetiarum *Dan.* probitatem impugnat praecipue hoc nomine, quia nimis perspicuae et definitae sint.

b) Hariolos enim non satis definite, sed ambigue, locutos esse, monet v. c. *Arist. Rhet.* 3, 5. Atque hanc ipsam ob causam *Cic.* negat, vera oracula inesse versibus *Sibyllinis de Divin.* l. 2. c. 54. *Callide enim*, inquit, *qui illa composuit, perfecit, ut quodcunque accidisset, praedictum videretur, hominum et temporum definitione sublata, adhibuit etiam latebram obscuritatis, ut iidem versus, alius in aliam rem, posse accommodari viderentur.* In hoc inesse discrimen fictorum et verorum vaticiniorum, nos docet etiam *Lessius* l. c. p. 476. sq. Non ergo vaticinium de *Aegypto* Es. 19. fictum dici potest, quia inter urbes eas, quae veram religionem recepturae dicuntur, diserte commemoratur *Heliopolis*, in cujus regione ab *Onia* IV. templum est exstructum. Sed inde probitas hujus vaticinii est colligenda; quod, si vel maxime non esset profectum ab *Es.* non tamen, exstructo isto templo, potest dici suppositum, quia extat etiam in vers. LXX. cuius adeo pars prophetica confecta est, ante illud templum, aut certe eodem fere tempore.

c) Conf. *Lessii* l. c. p. 656.

d) Vid. *Husnagelii* diss. 1. p. 7,

e) Conf. *Seileri* progr. c. p. 11.

f) Utuntur quidem, uti qui legerit hos locos, facile sentiet, hi poëtae oratione poëtica, sed quae *Hom.* l. c. *Tiresiae* et matri *Ulyssis* tribuit, ea

sunt

sunt satis definita, atque uti praedicta erant, ita evenisse finguntur libris sqq. *Sybilla* quoque, etsi ab *Virg.* v. 83. oratione sublimiore loquens introducitur, et nomina nota atque vetusta rebus novis accommodat, servato tamen nomine proprio *Lavinii* et *Thybris* ad ambiguitatem et obscuritatem tollendam, satis tamen circumscripte exprimit calamitates, quae Aeneam maneant, similes iis, quas olim subiisset in patria; et cum *Latio jam partus Achilles* nominaretur, *Turnus* facile poterat intelligi. *Anchises* autem v. 759 sqq. et posterorum et urbium, quarum fata futura attingit, nomina propria commemorat, quasi historiam enarraret, ea plane ratione, qua *Es.* 44. 28. et 45, 1. *Cyrus*, atque *Es.* 10, 28—32. urbes nominantur, per quas *Sanheribi* exercitus iter esset facturus. Apparet ergo, etiam eos, qui probabilia vaticinia fingere vellent, sola sana ratione duce, putasse, ad eorum probabilitatem requiri hoc, ut res futurae accurate definiantur.

§. 14. Denique quidam statuunt, prophetarum vaticinia per totos fere libros cohaerere, alii eadem in oracula innumera fere dissecanda putant; utraque autem opinio incommoda creat interpreti; prior quidem, quoniam, ea admissa, prophetam saepe per saltus audacissimos ab una re ad aliam, eamque plane diversam, transsilire, nec minore cum licentia ad rem superiorem redire, largiendum est, ut ne is quidem ordo ab eo observatus esse videatur, quem in carminum lyricorum dispositione audacissima detegere licet [a]). Posterior vero, quia favet iis, qui subinde mutila fragmenta in libris prophetarum reperisse sibi videntur, fidem eorum, qui vaticinia collegerunt, in suspicionem adducit, et nobis eripit illa adjumenta eorum interpretandorum, quae occasionis, per quam illa scripta sunt, et contextus observatio nobis subinde suppeditat. Erit igitur etiam in hac re media via tutissima. Nam cum prophetae neque prolixis orationibus res futuras exposuerint, neque libros suos uno quasi tenore scripserint, sed quae, quacunque occasione oblata, nunc brevius, nunc copiosius pro re nata recitaverant, paullatim literis mandarint, non est probabile, oracula, ab illis in codicillos relata, per totum fere prophetae alicujus librum posse pertinere. Praeterea quia quaecunque viri divini per varias occasiones pronunciaverant, statim ab ipsis, vel ab aliis excepta, diligentissime servata videntur, ejusmodi fragmenta manca et mutila non facile potuerunt in Codices illorum irrepere. Hinc sumere quidem licet, ibi esse finem alicujus vaticinii, ubi propheta progreditur ad materiam aliam, cujus nexus ne per phantasiae quidem leges possit perspici [b]). Verum cum

ordo

ordo chronologicus a prophetis eodem jure, quo a poëtis, possit negligi [c]), hanc solam ob caussam, quia appareat, prophetiam Mess. aliis oraculis, ad aliud plane tempus spectantibus, insertam, vel praemissam esse, plura vaticinia, plane disjuncta, in libri alicujus prophetici parte exhiberi, statuere nefas est, si observetur, digressionem ab uno ad aliud tempus, ab una ad aliam rem animo commoto prophetae esse accommodatam, aut saltem niti dictionis propriae aut metaphoricae, aut imaginis similitudine ea, quam poëtae orientalis ingenium arripere potuerit [d]), aut transitum quodammodo indicari, ut *Ierem.* 31, 31. et 38 [e]). Sed ὕστερον πρότερον in toto aliquo vaticinio, et plane inversum ordinem, ab ipsa rei natura alienum, in prophetia aliqua explicanda admittere, equidem non sustinuerim. Hinc Ps. 40. interpretatio usitata mihi non arridet [f]).

a) Hoc offensioni fuisse videtur *Origeni*: ἔστι δὲ καὶ αὕτη συνήθεια τῆς γραφῆς τὸ ταχέως μεταπηδᾷν ἀπὸ τοῦ περί τινων λόγου εἰς τὸν περὶ ἑτέρων καὶ τοῦτο ἀσαφῶς ποιεῖν καὶ συγκεχυμένως μάλιστα τοὺς προφήτας. Cf. *Comm.* p. 52. *Abarbaneli* vero, magistro Iudaeorum, hoc non mirum videbatur ad *Nah.* 2, 3.

b) V. c. quia ea, quae *Zach.* 13, 6. dicuntur, non possunt necti cum v. 7. ego non ausim cum *Vitringa* l. c. P. 3. c. 2. *can.* 8. sumere, v. 7. inesse episodion, sed malim cum iis facere, qui arbitrantur 7 — 9. continere peculiare vaticinium.

c) Hoc commode fieri posse per leges phantasiae, docet exemplum *Virgilii*, qui *Caesarem* et *Augustum* interposuit *Romulo* et *Numae*, ut conjungerentur omnes urbis et regni conditores et amplificatores propter eam, quae inter eos intercederet, similitudinem. *Aen.* 6, 752.

d) Nectitur quidem vulgo *Es.* c. 11. cum c. 10. quod negant, fieri posse, optimi interpretes recentiores, quia c. 10, 34. sylva, quae caedetur, non *Israelitas*, sed *Assyrios* significat. Recte quidem; quis vero neget, istam imaginem sylvam *Israelitarum*, olim exscindendam, in prophetae animo potuisse statim excitare, eum autem, ut demonstraret, Israelitas vel post illud excidium longe feliciores fore *Assyriis*, in ista sylva immoratum esse uni Isaei stirpi, ex qua surculus laetissimus, Messias, esset proditurus. Posset et hoc ex ea ratione, quam pictores sequuntur, illustrari. Sed vide *Velthusenium in Programmate*, *de optica* rerum futurarum descriptione ad illustrandum locum *Ies.* 63, 1 — 6.

e) Agitur quidem inde a v. 1 — 30. de reditu ex *Babyl.* exilio et de felicitate, quae postea *Iudaeos* in patria maneret. Sed inde a v. 31 — 37. Deus promittit, se novam religionis oeconomiam esse introducturum. Hoc enim esse istius loci argumentum, patet, quia 1) ea diserte appellatur nova v. 31. 2) quia plane diversa futura dicitur ab ea, quae lege Mosaica nitebatur,

v. 32.

v. 32. 3) quia ea v. 33. ſic deſcribitur, ut appareat, eam non tam in ritibus externis, quam in cultu animi interno verſaturam eſſe; 4) quia denique indicatur, eam hanc vim eſſe habituram, ut cognitio Dei propagetur ad plures. Quae notae religionis Chriſtianae nobis praeſtant, *Ebr.* 8, 8 — 13. contineri veram hujus loci interpretationem; idem ex eo intelligitur, quod apoſtol. v. 13. urget oppoſitionem novae et veteris oeconomiae. At cum v. 38. propheta redeat ad urbis finito exilio *Babyl.* inſtaurationem, apparet, hoc vaticinium, ad N. T. tempus pertinens, prophetiae de re antiquiore eſſe interpoſitum. Sed hoc non durum eſt h. l. quia propheta ipſe v. 31. per formulam הנה ימים באים (*en! tempus veniet,*) tranſit ad N. T. tempus paullo remotius; ſed v. 38. vel per eandem formulam, aut, ſi lectio textus eſt verior, his verbis הנה ימים *en tempus* (*jam inſtat,*) redit ad ſuperiora. His obſervatis, poſſet etiam *Matth.* 24. et locis parallelis lux affundi, atque controverſia, quae etiam nunc agitatur, utrum ille locus agat de excidio *Hieroſ.* an de fine hujus mundi, ita componi, ut utriusque opinionis argumenta praecipua maneant ſalva. Atque inprimis tum iſta difficultas evaneſcet, quae ineſt in eo, quod prioris opinionis propugnatores coguntur Chriſto affingere v. 29. orationem poëticam, alienam a prophetiis, in colloquio cum familiaribus propoſitis, (uti demonſtravit *Lippoldus* noſter, cujus *interpretatio ſacrorum de Chriſto venturo oraculorum* 1776. *ed.* omnino ad h. l. eſt conſulenda.) Nam ſi ſumſeris, quod 24, 3. in quo duplex interrogatio proponitur, quemque docere poteſt, recte a quibusdam putari, duplex oraculum hic reperiri, tum, memor eorum, quae paullo ante diximus, facile poteris ex formulis tranſeundi colligere, quae Chriſtus ad excidium *Hieroſ.* et quae ad hujus univerſi interitum referri voluerit. C. 24, 4. eum incipere loqui de iis, quae proxime inſtarent, ipſa admonitio, qua utitur, docet; recte ergo ſtatuitur, inde a v. 4 — 28 agi de iis, quae everſionem urbis eſſent praeceſſura. Sed v. 29. ea continet, quae in illud tempus non cadunt, niſi invito uſu loquendi, Chriſto proprio. Iam ſi contuleris, *Marci* 13, 24. apparet, ibi uſurpatam eſſe formulam, quae aliud tempus indicare poſſet: ἀλλ' ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις, (*illis* vero temporibus, quorum etiam mentionem interrogando ſupra feciſtis, *in jenen Zeiten aber;*) ſic quoque ביום ההוא Eſ. 19, 23. de tempore, multo poſt futuro, dici, obſervaverunt interpretes. At *Matth.* 24, 29. haec formula adhibetur: Εὐθέως δὲ μετὰ τὴν θλῖψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων; quae primo intuitu videtur indicare, *ſtatim poſt temporum iſtorum miſeriam* haec eſſe eventura. Sed ſi ſumeremus, εὐθέως, ad σκοτισθήσεται relatum, ſignificare ſubito, vel celerrime, quam vim habere poteſt, cum hebr. פתאם *Iob.* 5, 3. a LXX hoc vocabulo exprimatur, cum 2. *Mac.* 3, 8. *Matth.* 4, 20. et paſſim, ſic dicatur, in hac particula ipſa ineſſet vinculum, quo necterentur haec tempora remotiſſima cum aetate proxima; indicaretur nimirum, *non minus ſubito eſſe eventura illa, quam haec*; quae v. 27. eſſent praedicta, adhibita imagine fulminis, ad ſummam celeritatem exprimendam efficaciſſima. Atque adeo propter hanc celeritatis ſimilitudinem utriusque rei praedictionem junctam

eſſe, voc. εὐθέως, primo loco poſitum, prodere videtur: *non minus ſubito, poſt illius temporis miſeriam*, ſol obſcurabitur. Iam v. 32. Chriſtum redire ad tempus, proxime inſtans, admonitio docet. Atque *Luc.* 21, 28. verba ἀρχομένων δὲ τούτων γίνεσθαι indicant, hic jam rationem haberi eorum, quae primo loco praedicta, primo etiam exitum eſſent habitura. At *Matth.* 25, 31. Chriſtum redire ad extrema tempora, vincit ipſa formula, dictioni, 24, 30, de eodem Chriſti adventu uſurpatae, admodum ſimilis.

f) Scilicet, ſi Meſſias per totum Pſ. loquentis perſonam ſuſtinet, ſumendum eſt, eum in Pſ. initio Deo gratias agere pro cruciatibus ſuperatis, in fine vero divinum auxilium ad eosdem perferendos implorare. Sed hic ordo a natura et ſenſu animi, doloribus commoti, plane eſt alienus. Poteſt quidem, ſummo dolorum ſenſu precibus factis mitigato, aliquis fiduciam erga Dei providentiam ſignificare, eo laudando ipſam, ab iis liberationem quaſi occupans. Sed ordo inverſus eſt plane alienus. Neque hoc eſt lectorem in medias res, ſed ad rerum finem; atque inde ad initium abripere. Intelligent hoc, qui digreſſionum, in carminibus lyricis frequentium, rationem a poëtis graecis et latinis didicerint. Malim igitur ſumere, *Davidem* cum ex magna quadam calamitate emerſiſſet, Deo gratum animum ſignificaſſe, v. 2. 3. eundem vero, uti aliis hymnis, precum, jam exauditarum, *formulas* inſerit, hic repetere canticum, quod divino monitu in rebus adverſis ipſe cantaverat, ad ſe confirmandum exemplo ejus, qui longe majores cruciatus ultro eſſet ſubiturus. Atque hoc ipſum *Davides* diſerte dicit v. 4. *Ori enim meo indidit canticum novum, hymnum ipſius Dei noſtri, quem ubi viderint, multi reverebuntur et fiduciam in Iehova ponent.* Hanc enim verborum hebraicorum interpretationem per uſum loquendi locum habere, atque in tali contextu neceſſario requiri, facile eſt ad demonſtrandum. Formula quidem *hymnus dei noſtri* ut in lingua latina, ita in hebraica eſt ambigua; poteſt enim ea indicari hymnus decantatus in honorem Iehovae, qui *Davide* ſervando demonſtraverit, ſe eſſe Deum populi Iſraelitici. Sed hac explicatione admiſſa, ea, quae ſequuntur, ad ea, quae in verſibus ſuperioribus ſunt narrata, eſſent referenda, atque ſic vertenda: *haec ubi viderint multi, colent Iehovam et in eo fiduciam ſuam ponent.* Sed cum facile ſentiri poſſit, v. 5. exhiberi hymnum Dei, v. 4. commemoratum, his interpoſitis, nexus ita perturbatur, ut parentheſis duriſſima hic ſit ſtatuenda. Ipſa ergo orationis ſeries nos iubet haec cum verbis תהלה לאלהינו, intellecto אשר, cujus ellipſis Hebraeis eſt frequentiſſima, iungere. Hoc vero pronomen ad canticum non poteſt referri, quippe cui verbum ראה non conveniat; hinc reſpiciat ad אלהינו, neceſſe eſt, a quo verbum commemoratum non abhorrere, quilibet concedet, qui ex N. T. v. c. ex *Ioh.* 1, 4. didicerit, Deum vere ſe conſpicuum exhibuiſſe, cum filius eius humanam naturam induiſſet. Atque hoc habuiſſe hanc vim, ut multi tam eum, quam Iehovam colerent, atque in eo fiduciam ponerent, ex hiſtoria conſtat. Neque facile aliquis mirabitur, Meſſiam a *Davide* dici אלהינו,

cum

cum idem אלהים appellatus sit Ps. 45, 7. 8. uti §. 11. e) demonstravimus. Sic igitur probata hac versus huius interpretandi ratione, novum adeo nobis suppeditatur argumentum, quo evincitur, hunc loc. non agere de *Davide*, sed de Messia; nam regem humanum non posse dici אלהים, l. c. ostendimus. Praeterea hoc modo ne minima quidem ratio, ex qua certo appareat, hunc Ps. esse Messianum, nobis eripitur. Nam priores eius versus, in quibus nos Davidem loqui arbitramur, nullum attributum continent, Messiae plane proprium, uti ipse *Michaelis* in Colleg. crit. p. 269. fatetur, quamvis putet, ex eo, quod v. 6 — 10. servatoris nostri sermo inest, sequi, eundem in toto Ps. loquentis personam sustinere. Quae vero ex reliquis versibus repeti possunt et debent argumenta ad eos Messiae vindicandos, ea per nostram interpretationem salva et integra manere, quilibet vel ex eo coniicere poterit, quod nos in hoc carmine, cuius satis emendatum textum ad nos pervenisse, *Michaelis* l. c. monet, aut plane nulla, aut levissima correctione opus esse, fatemur. Nam etsi non nego, v. 5. lectionem plerarumque versionum veterum שָׂם, probatam *Michaeli*, *Koehlero* et aliis, etiam mihi arridere, eius tamen recipiendae non tanta, quanta aliis, necessitas mihi esse videtur, praesertim cum in Ps. 91, 9. שׂים in formula plane simili occurrat, atque idem verbum a *Chaldaeo*, *Aquila* et *Hieronymo* expressum sit. Porro nec vocabuli שָׂטֵי vocales necessario mutandae sunt; modo sumatur, radicem esse שׂוט, quae si comparetur cum verbo arabico שוט, et כזב cum *Michaele* accipiatur de idolis, possit forte *idolorum sectatores* significare, aut, si conferatur, auctore *Boysenio*, cum verbo arabico שאט *effundere*, mendacibus, quos *Koehlerus* quoque h. l. intelligi mavult, circumscribendis fuerit satis apta. אֵלֵינוּ quidem v. 6. explicari potest, servata etiam accentuum auctoritate, uti *Koehlerus* monet; id tamen *Michaeli* dandum putem, si hoc vocabulum, *Arabe* praeeunte, vertatur, *deus noster*, quod licere videtur, quia ex *Kenn.* Bibliis liquet, in Codd. Mss. saepe י redundans quasi vocalis : vices sustinere, (unde illud h. l. non temere neglectum est in Ed. Psal. *Genovensi*, quae 1516 prodiit,) et si *Masoretharum* interpunctio deseratur, addicentibus LXX et *Hieronymo*, omnem huius loci difficultatem evanescere. Atque adeo quoniam hac interpretatione admissa: *multa quidem tu perpetrasti*, *Iehova*, *mi Deus*, *miracula*; *et propter consilia tua*, *o Deus noster*, *nemo tecum potest componi*: אלינו tam bene respondet verbis יהוה אלהי, ut sic huius loci concinnitas mirum in modum adiuvetur, ipse parallelismus sententiarum poëticus eam videtur requirere. Versu 10. vocabulo צדק affixum ךָ vel adiectum repererunt, vel intelligendo addiderunt interpretes veteres, quos *Koehlerus* commemorat; hoc vero additamento non opus esse, si hoc substantivum, suadente *Michaele*, reddatur *veritas*, qui eius significatus in lingua arabica est frequentissimus, atque intelligatur vera religio, hoc quidem nulla eget demonstratione. Iam facile quidem divinari poterit, nostra neque interpretatione, neque emendatione firmissima, quibus doceri queat, hunc Ps. vere de Messia agere, argumenta labefactari. Verum quia etiam haec a recen-

recentioribus in dubitationem vocantur; non alienum esse videtur a nostro consilio, vim eorum h. l. quodammodo ostendere. Eiusmodi argumentum procul dubio inest in v. 7. et seqq. qui quidem accommodate ad usum loquendi atque ad parallelismum sententiarum poëticum sic possunt atque debent verti: *Quia neque in victimis, neque in fertis acquiescis: aures mihi patefecisti*, (i. e. me paratum reddidisti ad morem tibi gerendum in mandatis tuis exsequendis; quam esse potestatem huius formulae *Doederleinius* ad h. l. ostendit ex *Es.* 50, 5. et Iob. 33, 16.) *et quia neque holocausta, neque piacula postulas, equidem significo, me ipsum tibi praesto esse, uti in libri istius volumine de me scriptum extat*, (scilicet in vaticiniis Mess. quae etiam in Pentateucho inesse, passim demonstravimus.) Is ergo, qui hic loquens introducitur, diserte indicat, se promtum esse ad ea praestanda, quae Deus sacrificiorum variis generibus consequi nec potuisset, nec voluisset. Quis ergo neget, hoc effatum plane proprium esse Messiae, atque a *Davidis* persona abhorrere? Neque nostra interpretatione infringitur vis ejus argumenti, quod ex v. 13. potest repeti ad probandum, hoc esse vaticinium Messianum; in eo enim, si usum loquendi sequaris, haec insunt. *Me mala innumerabilia cingunt, tot poenae, mihi destinatae, me opprimunt, ut nequeam dispicere*; (nam עון h. l. non iniquitatem, sed peccatorum poenas significare, ex praecedente רעות et ex Ps. 38, 5. colligi potest, docente *Doederleinio*.) *Quae quoniam capillorum meorum numerum superant, me exanimant.* Haec quidem nemini conveniunt praeter Messiam, qui poenas innumeras et gravissimas pro toto humano genere subiit. Hoc vero loco respicitur ad v 9. ubi idem significaverat, sibi nihil suavius esse, quam Dei mandata exsequi, per quae non tam ea, quae ipsi docendi provinciam, quam ea, quae eidem moriendi pro nobis necessitatem imponerent, intelligenda esse, monet *Morus* ad *Ebr.* 10, 7. Neque nostra ratio *Pauli* auctoritatem minuit. Nam ille non *Psalmi* initium, sed v. 7 — 11 ad Messiam refert, quem locum ei ab apostolo non tam esse accommodatum, quam de eo vere intellectum, recte ex eo colligitur, quod v. 5. diserte dicit, haec esse verba Christi, in genus humanum introducti, et quod idem v. 8. et 9. ex hoc sermone, ei tributo, argumenta ducit. Ex his satis superque apparere videtur, nos *Psalmi* huius initio *Davidi* reddito, hoc carmen plane non eripuisse prophetiis Messianis, sed adeo effecisse, ut eius de Christo interpretatio certius posset vindicari ab aliorum dubitationibus.

RATIO

RATIO PROPHETIAS MESSIANAS INTERPRETANDI CERTISSIMA, NOSTRAEQVE AETATI ACCOMMODATISSIMA.

PARS II.

PROOEMIVM.

Uti ſemper fuerunt, qui putarent, in libris divinis interpretandis plane aliam rationem eſſe ſequendam, quam *in profanis: ita etiam* nunc viri quidam Celeb. ad hanc opinionem proclives ſunt, etſi alias ob cauſſas. *Seilerus* quidem prophetias certe Meſſ. ad aliam normam eſſe explicandas, quam alios libros, contendit [a]), inprimis hanc ob cauſſam, quod prophetae rerum, quas in his vaticiniis praedicebant, non, niſi obſcuras notiones habuerint, neque ea, quae per ſe quidem ingenio humano erant abſcondita, potuerint exprimi et depingi, niſi per imagines, aenigmatibus ſimiles [b]); unde ille colligit, Dei cogitationes a prophetarum et aequalium ſenſu, cum vaticiniis iuncto, diverſas fuiſſe, easque latius patuiſſe. Iam quidem negari non poteſt, Deum vel tum, cum primas tantum lineas Meſſiae a prophetis duci curaret, ejus perfectiſſimam concepiſſe notionem; ſed hinc non ſequitur, omnibus vaticiniis Meſſ. eam eſſe inferendam. Etenim in iis explicandis non illae cogitationes, quas Deus de Meſſia inde ab aeternitate habuerit, neceſſe eſt, ſed illae, quas voluit cuique aetati innoteſcere, ſunt enucleandae; atque eas quidem, imaginibus, unicuique tempori aptiſſimis, expreſſas, tam prophetas, quam eorum aequales potuiſſe perſpicere, facile eſt ad intelligendum. Iam etſi illae exitu ipſo clariores ſunt redditae, atque magis magisque definitae [c]), ita, ut iis ex hiſtoria lux poſſit affundi [d]), tamen, cum indagamus, quid praedictum ſit de Meſſia, noſtrum non

eſt,

est, eas cogitationes verbis oraculorum subjicere, quas nobis, eventu doctis, cum iis jam conjungere facile est, sed eas tantum, quas per usum loquendi prisci illi homines poterant et debebant ex vaticiniis illis haurire; adeoque in iis explanandis plane eadem locum habent, quae in carminibus *Graecorum* et *Latinorum* observanda sunt, si discesseris ab iis, quae poëtis *hebraeis* sunt propria [e]). Neque ex eo, quod prophetae in plerisque vaticiniis oratione poëtica usi sunt [f]), poësis autem *Hebraeorum* quodammodo differt a poësi *graeca* atque *latina* [g]), colligi potest, rationem prophetiarum Mess. interpretandarum plane differre a ratione carminum aliorum explicandorum. Nam eo, quod prophetae, quaedam sensu acriore elocuti, imagines interdum paullo audaciores usurpant, non immutatur eorum interpretatio [h]), sed inde hoc tantum sequitur, usum loquendi, poëtis *hebraeis* proprium, in iis explicandis non esse negligendum [i]). Nec tamen audiendi sunt illi interpretes, qui, ut eo impunius tenuissimas quasque sententias ex prophetiis *Hebraeorum* elicere possint, crepant semper poëtarum orientalium audaciam in eloquendo. Ab hac enim paullulum distare videtur priscorum illorum poëtarum sublimitas [k]). Certe prophetae cum res novas et inauditas hominibus, qui rebus, in sensus externos incurrentibus, erant addicti, in vaticiniis Mess. exprimere deberent, saepius res majores imaginibus tenuioribus, quam res parvas picturis augustioribus depingere coacti sunt [l]).

a) Cf. *Seileri* progr. p. 19. ubi oppugnat opinionem eorum, qui contendunt, libros divinos non aliter, atque ingenio humano elaboratos, interpreti prudenti esse tractandos; quod ait, tantum cadere in locos Script. Scr. historicos, dogmaticos, ethicos etc. quia in iis exprimantur cogitationes, quas auctores omnes fere penitus perspectas habuerint. Sed ego malim facere cum *Ernestio*, qui in *inst. interp. N. T.* P. 1. S. 1. c. 1, 16. nullo locorum SS. discrimine facto, pronunciat, non alio modo vel quaeri, vel reperiri sensum verborum in libris sacris, quoad humana opera intercedit, quam quo in humanis vel solet, vel debet. Atque adeo divinam illorum librorum originem non aliud discrimen introducere, nisi hoc, ut in iis explicandis eo certius regulas hermenevticas, v. c. hanc: *consilio et contexto scribentis consentire debere interpretationem*, observare possimus, bene monet idem P. 1. S. 1. c. 1.

b) Hujus rei caussam in primis putat esse hanc, quod prophetae non suas, sed Dei cogitationes expresserunt. Sed si Deus voluit per prophetas res futuras

prae-

praedicere, quis neget, eum notionibus novis, in animo illorum excitatis, eam saltem claritatem affundere debuisse, ut eas tanta cum perspicuitate aequalibus suis exprimere possent, quanta opus erat ad iis tradendam talem Messiae notitiam, qualem ipse isti aetati destinasset. Eam vero a priscis hominibus vel ex formulis tropicis hauriri potuisse, documus §. 8. *b)* exemplo loci *Gen.* 3, 15. proposito.

c) Eventu quidem cum oraculis, in quibus de Messia in universum aliquid praedicitur, conferendo, ea possunt illustrari, atque magis magisque definiri, sed nefas est contendere, ea, quae historia magistra intelligimus, omnia iis esse expressa.

d) Cf. §. 9. *a)* et §. 14. *e)*.

e) Haec discere licet ex *Lowthi* et *Herderi* l. c. et ex *Guilielmi Jones poës. Asiat. commentariis.*

f) Hoc demonstrat *Lowthus* l. c. et *Esaiam* nominatim oratione poëtica usum esse, docet idem in *Prolegom. Esaiae* versioni praemissis; addicunt etiam *Eichhornius* P. 3. §. 516. p. 31. et *Herderus* passim. Pleraque vaticinia versibus decurrere, ex metro etiam, a prophetis observato, evinci posset, nisi hoc esset ab h. l. alienum. In visionibus vero propheticis plerisque enarrandis, oratio prosaica, in narrationibus usitata, usurpata est, uti recte monet *Eichhornius* P. 3. p. 35. et P. 2. p. 405.

g) Maximum discrimen utriusque poëseos inest in sensuum et imaginum quadam diversitate, cujus caussam indicat *Herderus* l. c. P. 2. p. 7.

h) Hujus discriminis observatio, non tam vim exserit in rationem carmina *hebr.* interpretandi, quam in judicium de eorum venustate; neque alia sententia esse videtur *Herderi* l. c. et P. 2. p. 316.

i) Usus loquendi, quem poëtae *hebr.* sequuntur, diversitas raro quidem, at interdum tamen ipsam interpretationem quodammodo afficit. V. c. quia *Hebraei* diversas metaphoras uno eodemque loco jungunt, temere ex variis metaphoris variae notiones elicerentur; et quia parallelismus synonymorum est frequens in carminibus *hebr.* male attributa referrentur ad tot subjecta, quod videntur indicari per *substantiva* synonyma, quibus vero, si rem vere aestimaveris, non, nisi unum exprimitur.

k) Hoc facile sentiet, qui contulerit carmina poëtarum orientalium, quae *Iones* l. c. exhibuit, cum poëmatibus *hebr.* praesertim si meminerit eorum, quae nos admonuimus passim, ut infra 11. d). Hic uno tantum exemplo defungi nobis liceat. Fuerunt quidem, qui putarent, *Ioel.* 2, 10. imaginem audacissimam occurrere, quia locustarum adventu terra contremiscere, coelum moveri, sol, luna et stellae obscurari dicuntur, quibus formulis etiam *Turretinus* l. c. existimat nil, nisi magnam calamitatem exprimi. Sed rectius *Ge. Laur. Bauerus in den kleinen Propheten* P. 1. observat, poëtam

 hic

hic pingere locustas advenientes, tonitru omnia jam obscurante; nam eas advolasse, aestu solis saeviente, ex v. 3. patet. Atque hanc observationem adjuvat v. 11. ubi *vox Dei*, i. e. tonitru, diserte commemoratur.

k) Cf. *Seiler*. p. 20.

Praecepta, in prophetiis Messianis interpretandis observanda.

1. Primum quidem, uti in omni carmine, ita in prophetiis Mess. explicandis ex inscriptione [a]), vel narratione [b]) praemissa, ex consilio scribentis, vel dicentis, si quidem illud eluceat [c]), vel ex dictione, qua ad alium locum videtur alludi [d]), docendum est interpreti, per quam occasionem, quo tempore [e]), et cui prophetae *f*) vaticinium aliquod divinitus sit traditum, ut videat, an harum rerum observatio ipsi suadeat, aliquam prophetiam ad Messiam referre, atque fontem formularum dicendi et imaginum usurpatarum patefaciat. In hac tamen disquisitione ei cavendum est, ne singulis verbis nimium tribuat, in quod vitium optimos adeo interdum interpretes incidisse, *Theodoreti* [g]) et *Venemae* [h]) exemplum nos docere potest.

a) De hac re cf. *Husnagelii* diss. 1. p. 13. et *Starkii l. c.* s. 14. Certe illae inscriptiones, quas ipse propheta pro more poëtarum orientalium praemisit, interpretationem possunt adjuvare. Ex hoc genere est initium *Ps.* 110. *Sic affatus est Iehova dominum meum*, quibus verbis *Davidem* indicare, hoc *Ps.* agi de Messia, diximus §. 6. c) fin.

b) Ut *Es.* 7, 1 — 9. Cf. §. 7. b).

c) Huc pertinet l. c. et *Gen.* 49, 10. §. 9. c). *Ps.* 40, 2 — 4. §. 14. f) *fin.*

d) Cf. §. 6. b) c) d) et *Herderus* l. c.

e) De tempore, quo propheta quisque vixerit, consuli possunt, *introduct.* in *V. T. libros*, in primis *Eichhorniana* illa.

f) V. c. Ps. 2. auctorem esse *Davidem*, ipsae dicendi formulae indicant; idem docet Apostolus Cf. §. 6. b). At oraculi, 2 *Sam.* 23, 1. exhibiti, auctorem indicat ipsa *Davidis* inscriptio poëtica.

g) Cf. ejus *commentar.* in *Ps.* ad Ps. 68. quem putat compositum a *Davide*, cum videret, impietatem dominari, eumque existimat, Deum rogare, ut statim mittat servatorem, qui diabolo se opponat. Urget scil. voc. קום etc.

Rectius

Rectius recentiores ex formula dicendi, repetita ex *Num.* 10, 35. et ex descriptione pompae sacrae colligunt, hunc Pſ. decantatum fuiſſe, cum arca, Deo ſacra, in montem *Zionium* transferretur.

h) Hic vir doctus v. c. exiſtimat, *Pſ.* 1. a *Davide* eſſe confectum, cum ipſe, regno deſtinatus, *Saulum* haberet adverſarium, quia tum *irroſores* et *profani* extiterint.

2. Deinde univerſa carminis, in quo continetur vaticinium aliquod, oeconomia et ſeries orationis eſt indaganda[a]), ſententiis primariis, in eo tractatis, ab ornatu ſeparandis[b]), earum nexu exigendo et examinando ad phantaſiae leges, obſervandis etiam tranſitus formulis[c]), ut intelligamus, utrum iſta oeconomia prophetiam Meſſ. reſpuat[d]), an requirat, aut ſaltem admittat[e]). Cavendum tamen eſt interpreti, ne ex ſingulis verbis, vel ex iis, quae ornatui ſunt data, ducat peculiaria argumenta.

a) Cf. *Hufnag. diſſ.* 1. p. 13.

b) Obſervatis iis, quae infra 11. monuimus, quilibet, qui orationis poeticae diſcrimen ſentire didicerit, ſententias, in carminibus hebr. tractatas, elicere et earum ſummam oratione ſimplici et proſaica exponere facile poterit. Lecto v. c. Pſ. 2. intelliget, hoc totius carminis eſſe argumentum: *Miror populos eorumque reges conſpiraſſe contra Deum et regem, ab ipſo inauguratum. Sed video, eorum conſilio illudere Iehovam, qui filium ſuum in monte Zionio regem conſtituit, eique totum terrarum orbem ſubjecit. Hunc adorate, o reges, ne vos puniat. Beati ejus fiducia freti!*

c) Cf. §. 14. c) d) e). Quia vero interpretes in primis de c. 3. *Ioel.* nexu laborant, eum per hanc occaſionem oſtendamus. Id negari non poteſt, C. 1–2, 14. agi de fame, per locuſtas adducta. (Cf. *Turretin.* l. c. p. 310. ſq.) Porro propheta Iſraelitis, poenitentiam agentibus, promittit fertilitatem atque liberationem a ludibrio gentium et a locuſtis c. 2, 15 — 26. Deinde ſubjicitur hic. v. *Et ſic intelligetis, me inter vos verſari, me, Iehovam, Deum veſtrum, vos tueri, et alium nullum; neque populus meus ſpe ſua excidet in perpetuum.* Ultima hac formula videtur indicari, agi de ſpe, quam Deus olim eſſet expleturus. Bene ergo cohaerent ea, quae 3, 1—5. inſunt: *Ne extremis quidem temporibus, quibus ſpiritus divini vis communicabitur cum omnis generis hominibus, vos negligemini. Nam iis etiam veſtri inprimis poſteri afflatu divino gaudebunt. Atque vel tum, cum Hieroſolymitanis extremus dies venerit, longe triſtior eo die, qui deſcriptus eſt* 2, 1. 2. (qui locuſtis obſcurabatur, et ad quem formula *dies Iehovae* lectores reſpicere jubet,) *ſervabuntur veri mei cultores.* Ne vero aequales

prophetae putarent, populum in exilio Babyl. mansurum, ille c. 4, 1. redit ad illud tempus, idque indicat ipsa formula: *illis autem diebus*, *quibus — captivos reducam.* Nexus ergo est satis luculentus phantasiae leges observanti.

d) Hac ratione si summam Ps. 8. elicias, facile apparebit, eum non posse referri ad Messiam. Cf. §. 10. a).

e) Ps. 2. oeconomiam certe admittere interpretationem eorum, qui per regem, divinitus constitutum, Messiam intelligunt, facile sentiet, qui ejus summam legerit b). De loco *Gen.* 49, 10. cf. §. 9. c) init.

3. Ubi interpres sibi persuaserit, locum, in quo continetur prophetia, esse genuinum [a]), ejusque verba singula ad criseos sobriae et modestae leges exegerit [b]), ejus est, eum grammatice interpretari secundum usum loquendi, omnibus *Hebr.* communem, et poëtis, inprimis autem auctori proprium [c]), quem quidem facile discet, qui unius ejusdemque prophetae oracula lecta atque relecta cum aliis contulerit; denique sensus ambiguitas serie orationis et consilio scribentis adjuvante ei est tollenda [d]).

a) Hoc judicium criticum non necessario de singulis locis est instituendum. Nam si de singulorum librorum V. T. probitate, (de qua consuli potest *Eichhornii* l. c. P. 2. §. 428. sqq.) inter intelligentes constiterit, temere singula loca in dubitationem vocantur, nisi firmis argumentis, in primis historicis, demonstrari possit, ea olim esse supposita; certe probationis vim habere non potest mera opinio. Non ergo licet ex eo, quod vaticinium aliquod est definitum, colligere, illud esse fictum. Cf. §. 13. Hinc cum de libri prophetici, qui ab *Esaia* posteritati est traditus, probitate non possit dubitari, vaticinium, quod inest *Es.* 19. non hanc ob caussam tempore recentiore excogitatum potest dici, quia urbs *Heliopolis* nominatim commemoratur. Cf. §. 13. b) fin. Utile tamen fuerit, subinde notas probitatis, ipsis vaticiniis impressas, indicare. Sic v. c. *Gen.* 49. exhiberi carmen, in quo *Iacobi* vota prophetica bona fide exprimantur, neque illud a *Mose*, vel ejus posteris fictum esse, ex eo potest demonstrari, quod auctor gentis, ex qua ipse et *Aaron* originem ducebat, in eo vituperatur, *Iudae* autem posteritati regnum promittitur. Cf. *Lessii* l. c. P. 1. p. 334.

b) Has discere possunt tirones ex *Lud. Capelli Crit. sacra, a Vogelio et Scharfenbergio* edita. Igitur a modestia, critico necessaria, aberraret, qui, ut efficeret, Ps. 16. agere de Messia, contenderet וְאַדִּירֵי legendum esse. Neque huius virtutis admodum memor fuisse videtur, qui Ps. 110, 1. לאדני vertit, *Iehovah spricht zum Koenige*, quasi לאדון scriptum esset; nam hujus

jus emendationis nulla est necessitas, nisi quis hoc agat, ut nobis eripiat argumentum, quo evinci potest, hic Deum alloqui Messiam. Cf. §. 6. c) fin.

c) De usu loquendi consuli potest *Ernestii inst. interpr. N. T.* P. 1. S. 1. c. 1. et 2. et S. 2. 5. Hunc negligeret, qui *Ps.* 45, 9. verteret: *Dein Thron, Herr, ist ein ewiger Thron, drum hat dein Gott, o Koenig, Dich gesalbt.* Nam אלהים dominum et regem significare, non potest demonstrari. Cf. etiam §. 11. e) *med.*

d) Huius rei periculum fecimus §. 8. a), §. 9. c), et §. 11. c).

4. Eiusmodi autem locum grammatice interpretanti oratio optantis [a]), vel, conditione quadam addita, promittentis [b]) diligenter distinguenda est ab oratione vaticinantis, ut appareat, an ei vere insit prophetia. Nam cum vaticinium Mess. sit *certa* praesignificatio eorum, quae vel Messiae, vel regno ejus olim essent eventura, ea, quae propheta apprecatur, vel pollicetur suis hominibus, adjecta quadam conditione, non possunt ejusmodi praedictionem continere. Iam quidem ex forma grammatica difficile est, dignoscere praesignificationem rerum futurarum a voto, cum *futura hebr.* possint et *imperativi et optativi* vim habere. Vix tamen dubitare licet, in eo loco non tam optari, quam potius praedici res futuras, in quo multa *futura* et *praeterita* miscentur, ut fieri solet in narratione, aut in quo insunt singulae quaedam περιςάσεις [c]).

a) Hac distinctione opus est, quia jam quidam sunt, qui contendant, ea loca, in quibus vulgo putantur inesse vaticinia, non continere, nisi mera vota.

b) Huiusmodi promissum prophetae ipsi distinguunt formulis adjectis. Sed vaticinia Mess. non habent conditionem adjunctam. Hinc *Zach.* 6, 15. vix potest agere de iis, qui religionem christ. olim essent amplexuri, sed debet intelligi de iis, qui ex terris remotis essent redituri ad templi instaurationem adjuvandam: quae res confirmare poterat vaticinii superioris veritatem.

c) Ps. 72. *Davidem* non optare, ut *Salomo* ea, quae hic commemorantur, faciat, sed praedicere, quae Messias olim esset facturus, vel ex eo potest intelligi, quod, quae olim futura erant, hic accuratius et copiosius circumscribuntur, quam in votis fieri solet, et quod neque *imperativi* ita frequentantur, neque optandi particulae ita adjiciuntur, ut fit 1 Reg. 8, 23. sqq. Neque *imper.* תן, in *Ps.* initio adhibitus, potest vim optativi habere, sequente statim *futuro*; sed per hebraismum frequentem haec potestas ei tribuenda est: *Si regi leges tuas mandaveris, ille juste imperabit populis* etc.

etc. Atque etiam descriptio regis justissimi, ex posteritate *Davidis* oriundi, *Salomoni* exempli loco proposita, ei longe utilior esse poterat, quam vota adeo intemperantia, de ejus imperio concepta.

5. Si hac ratione sensum grammaticum ex loco aliquo prophetico elicueris, facile erit ad judicandum, utrum de propheta ipso, an de proxima aetate, quae ante omnia est circumspicienda, (qui enim cum *Coccejanis* omnia fere referunt ad tempora remotissima, procul dubio peccant, si in aetate propiore aliquid evenerit, rei praedictae simile,) an de Messia et ab eo introducta religionis oeconomia sermo sit. Hoc enim etsi non potest colligi ex nomine, quod ei cum aliis possit esse commune[a]), neque ex attributis, etiam alii cuidam convenientibus[b]), tamen ex iis, quae non cadunt, nisi in eum[c]), aut ex contextu[d]), de Messia aut regno ejus agi, vel tum certo constare potest, cum ei vel nomen commune, vel adeo alii proprium[e]), (quod tamen non potest dici duplex subjectum in eodem loco indicare[f]),) propter quandam, quae ei cum eodem intercessura erat, similitudinem, tribuitur, aut nomen symbolicum[g]) pro more poëtarum et prophetarum imponitur.

a) Cf. §. 6. a). Temere ergo *Iudaei* et *Christiani* veteres *Ps.* 20. ad Messiam referunt, etsi subjectum eius dicitur משיחו. Gravius quidem est, quod v. 10. videtur hoc dici: *ille rex exaudiat nos*, *quoties eum invocaverimus*; per quem regem Messiam esse intelligendum, contendit etiam *Calovius*. Sed cum in toto *Ps.* sermo sit de rege humano, cui populus prospera quaeque apprecatur, rectius, si proba esset distinctio Masorethica, per המלך intelligeretur Deus, qui erat rex terrae *Palaestinae* proprius. Sed melius hoc vocab. ad membrum prius referri, et יעננו legi auctoritate LXX et aliarum vers. antiquarum, jam monui in disp. *de metro hebr. antiquo* p. 73. idque etiam probat *Koehlerus* in *Repert.* ad h. l. Possit etiam יעננו servari, modo המלך ad prius membrum referatur, quod postulat etiam v. 7. ad quem respicitur: *Iehova uti regem nostrum servat*, *ita nos exaudit*, *quo tempore eum imploramus.* Neque 2 *Sam.* 23, 3. מושל באדם aut צדיק, si quis hoc voc malit pro subjecto habere, pro nomine Messiae proprio possunt haberi, cum etiam *Salomoni* conveniant, etsi facile concesserim, v. 5. per ברית עולם promissum, quod per omnem aeternitatem esset exitum habiturum, Messia regnum *Davidicum* quasi continuante, esse intelligendum, quia ad 2 *Sam.* 7, 13. 16. respicitur,

b) Cf. §. 10. Id vero per se intelligitur, multa attributa communia, quae non casu in uno eodemque concurrere possint, eandem habere vim, quam attri-

attributum, alicui plane proprium. Sic v. c. quae *Michae* c. 5, 1. sqq. leguntur, singula quadrant in multos. Nam multi nati sunt *Bethlehemi*, multi fuerunt *reges populi Israelitici*; multi originem duxerunt ex *gente antiquissima*, siquidem liceat קדם sic intelligere, cum propter additum מימי עלם rectius videatur accipi de aeternitate. *Fama* quorundam *Iudaeorum*, ut *Maccabaeorum*, videtur posse dici *propagata usque ad fines terrae*. Denique natales regis cujusdam humani, nimirum *Cyri*, liberationem ab hostibus quodammodo praestiterunt. Sed quanquam haec singula pluribus, omnia tamen uni tantum Messiae conveniunt, qui rex populi Israelitici *Bethlehemi* ex familia *Davidis* antiquissima ortus est, imo inde ab ipsa aeternitate extitit, cujus fama usque ad extremas terras celebrata est, et, quo nato, liberatio ab hostibus *Israëlitis* contigisse dicebatur, *Luc.* 1, 71.

c) Cf. §. 6. b) c) d).

d) Cf. §. 7. b).

e) Sic *Hos.* 3, 5. *Israelitae* dicuntur quaesituri Iehovam, Deum suum, et *Davidem*, regem suum — extremis temporibus; ubi, sermonem esse de eo, per quem Deus felices redditurus esset *Israelitas*, docet parallelismus; nam haec subjiciuntur: *et properabunt ad Iehovam et ad felicitatem ejus*, i. e. ad auctorem felicitatis, ab eo missum. Dicitur ergo Messias דויד, alter quasi *Davides*, propter similitudinem, quae inter utrumque esset futura, non tantum hanc ob caussam, quia ex gente illius hic esset oriundus. Eodem nomine Messias insignitur *Ez.* 34, 23. Nam ibi hunc esse intelligendum per pastorem, vel regem unicum, ex eo patet, quod v. 25 — 28 tanta tranquillitas civibus hujus regis promittitur, quanta non contigit per regem humanum, et ex v. 29. ubi Deus *Israelitis* pollicetur *progeniem illustrem*, quae *Israëlitas* ab omnibus malis sit liberatura. Sic etiam *Ioanni* nomen *Eliae* tributum esse, vidimus. Cujusmodi appellationes esse accommodatas orationi *Hebr.* poëticae, docet *Es.* 1, 10. ubi *Iudaei* propter morum similitudinem dicuntur עם עמרה populus *Gomorraeus*. Eandem rationem sequi poëtas profanos, inprimis in vaticiniis, intelligi potest ex loco *Virg.* §. 13. f) commemorato.

f) Obstant enim ea, quae tradidimus §. 1.

g) Potest ergo *Es.* 7, 14. sermo esse de Messia, etsi *Immanuel* est nomen symbolicum. Cf. §. 7. b).

6. Sic etiam nomina appellativa *prophetae*, *regis*, *sacerdotis*, *pastoris* etc. quorum illud, quod tempori cuique erat aptissimum ad notionem Messiae imprimendam audientibus, quilibet propheta usurpavit, adhibita sunt ad exprimendam illam similitudinem, quae Messiae cum eo, cui hoc nomen per usum loquendi abstrictum erat, intercessura

 esset

esset[a]). Caussa ergo, cur prophetae Servatori nostro per varias occasiones varia haec nomina tribuerent, non erat haec, quod sic diversa ejus munera, sed quod omnia, quae ille praestiturus esset, iis imaginibus exprimere vellent, quae unicuique occasioni, per quam dicerent, essent accomodatissimae, atque aptissimae ad communicandam cum ea, qua viverent, aetate eam Messiae notitiam, quae tunc consilio Dei sufficeret.

a) *Eusebius* quidem in *hist. eccles.* l. 1. c. 3. docet, et sacerdotem summum, quem *Moses* dignitatis summae caussa *Christum* appellasset, et reges et prophetas fuisse *typicos Christos* (εἰκονικοὺς χρίστους, χρίστους ἐν τύπῳ) atque hos omnes ad verum Christum referri, quippe qui solus omnium gentium pontifex, solus rex et dominus omnium, solus denique inter prophetas summus propheta patris exstiterit. Ergo ille diserte dicit, illos fuisse *typos Christi*, propter quandam ejus cum illis similitudinem, hunc vero iis longe superiorem esse; non autem contendit, peculiaria munera eiusdem his nominibus esse indicata. Cum igitur cum his omnibus tanta similitudo intercessura esset Messiae, non mirum est, prophetas per varias occasiones variis etiam nominibus eum insignivisse, ut aequalibus suis ejus summam praestantiam ea imagine indicarent, quae cum maxime ipsorum oculis et animis obversaretur. Sic v. c. *Deut.* 18, 5. Messias a *Mose* dicitur *propheta*, *ipsi similis*, quia Deus eo tempore, quo, ejus majestatem veriti, cupiverant, ut ille per internuncium ipsis declararet voluntatem suam, (*Exod.* 20, 16.) cum ipso communicaverat oraculum, ex quo appareret, venturum esse aliquem, qui omnium maxime dignus esset, cui obedirent. In quo oraculo Messiam indicari, inprimis inde patet, quod sermo est de propheta, *Mosi* simili, cui non potuisse comparari *Iosuam*, ejus successorem, vel ex *Deut.* 34, 10. intelligitur. Atque hinc *Petrus* quoque *Act.* 3, 22. hunc locum de Messia intellexit. In quo vero insit haec similitudo, id docet *Ernesti Opusc. theol.* p. 420. sqq. ubi etiam evincit, non tantum docendi provinciam, sed totum opus Servatoris hoc nomine exprimi. Atque adeo per prophetam, *Mosi* similem, indicari aliquem, qui novam religionis oeconomiam esset introducturus, uti *Moses*, ex occasione, per quam hoc vaticinium est traditum, colligi potest. Deinde cum reges populo *Israelitico* praeessent, Messiae adumbrando non aptior erat, quam regum imago, ut docet *Husnagelius diss.* 1. p. 8. Quid mirum, si Deus *Davidi*, cujus familia per ejus singularem providentiam ad dignitatem regiam erat evecta, Messiam annunciaturus, significavit, posteritatis ejus regnum fore perpetuum, *Davidesque* has imagines in pluribus *Ps.* magis magisque expinxit? Neque timendum erat, ne intelligeretur ab omnibus rex humanus, cum hic *Ps.* 110, 4. appelletur *sacerdos ad Melchisedeci rationem*, i. e. rex, qui peculiarem religionis rationem esset habiturus; cum *Ps.* 2. fin. vere felices praedicentur,

qui

qui fiduciam in eo essent posituri, et cum *Ps.* 72, 5. idem dicatur effecturus, ut Deum colerent generationes plures, v. 7. felicitas, usque ad finem mundi duratura, ei accepta referatur, v. 9. ei subjecti commemorentur omnes reges exteri, v. 17. omnes populi per eum se beatos praedicaturi, eumque laudaturi dicantur. Atque etiam regis nomen, de Messia usurpatum, patere latissime, demonstrat *Ernesti* p. 423. sqq. Denique cum in republica *judaica* magna esset auctoritas sacerdotis, quis miretur, Messiam etiam hac imagine esse expressum? Ps. 110, 4. et *Zach.* 6, 13. Atque utroque loco indicatur, eum fore sacerdotem, sacerdote *Aaronitico* longe augustiorem. *Zach.* 6, 11. quidem eum, de quo agitur, sacerdotem et regem futurum, actione symbolica, ibi descripta, indicatur, atque v. 13. utriusque muneris finis in felicitate positus dicitur. Nam consilium *pacis*, vel felicitatis, est consilium alios fortunandi. Neque est, quod existimet aliquis, h. l. significari utriusque muneris conjunctionem, jam tum factam. Nam ex historia potest demonstrari, eam certe non locum habuisse ante *Hasmonaeos.* (Cf. *Seldenus de successione in pontif. Ebr.* l. 1. c. 13.) Neque hoc tempus spectari, ex v. 12. apparet, ubi dicuntur prospera quaeque eventura, templo restituto tempore viri alicujus, cujus ipsum nomen istius felicitatis symbolum esset futurum. Itaque *Ernestio* dari debet, etiam sacerdotis nomine, Messiae tributo, quamlibet provinciam indicari, quam ille esset suscepturus. Cf. p. 426. sq. Uti vero *Davidi*, in templo forte versanti, et *Zachariae*, templi et sacrorum instaurationem meditanti, hae imagines erant maxime obviae, ita etiam aequalibus eorum luculentissimae fuerint, necesse est.

7. Perspecto hac ratione subjecto ex nominibus, ei impositis, non difficile erit, cum eo comparare attributa singula, eaque definire ex usu loquendi, *Hebraeis*, poëtis et auctori proprio [a]), praesertim, si formularum dicendi proprie [b]), vel tropice dictarum [c]), aut imaginum [d]), fontem detexeris in occasione, per quam vaticinium divinitus sit traditum; quo detecto, etiam elucebit, eas picturas, quae insunt in dictionibus tropicis, ei tempori fuisse aptissimas atque luculentissimas [e]). Quod quidem eo facilius poterit demonstrari, si indicium aliquod, quo tempus Messiae quodammodo notetur, fuerit additum [f]).

a) Hujus indagandi periculum fecimus in illustrandis quibusdam formulis *Ps.* 2. 110. 16. §. 6. b) c) d) et *Ps.* 45. §. 11. e).

b) Sic v. c. quia *Gen.* 12, 2. 3. praedicitur felicitas, quae manebat *Abrahami* posteros, ejusque magnitudo exprimitur his verbis: per *te* vel *per tuam prosperitatem* fortunabuntur, vel prospera quaeque sibi apprecabuntur gen-

 tes

tes terrae, vix potest dubitari, felicitatem indicari, quam per Messiam consecuturae essent nationes exterae. Cf. §. 8. a).

c) Hoc tentavimus in formula tropica enucleanda, qua significatur, damnum quod serpens intulisset primis hominibus, reparatum iri. *Gen.* 3, 15. §. 8. b).

d) Sic iis imaginibus, quibus pinguntur gentes exterae, *Hierosolyma* adeuntes, *Iudaei* ex *Babyloniensi* exilio redeuntes, hostes victi, civitati Dei adjuncti, exprimi religionis, *Hierosolymis* ortae, propagationem, *Iudaeorum* ad religionem christ. transitum, gentium exterarum adjunctionem ad civitatem Christi, *Hierosolymis* natam, facile potest demonstrari. Cf. §. 12. f) g) h).

e) Cf. §. 12. e).

f) Ejusmodi indicium nos reperisse nobis visi sumus *Gen.* 3, 15. in ratione loquendi, (Cf. §. 8. b).) *Es.* 2, 2. *Es.* 11, 10. in additamentis quibusdam. Cf. 12. f) g) h).

8. Iis locis, in quibus non reperiuntur notae Messiae luculentae, ex locis parallelis lucem affundere licet, non tantum ex iis, in quibus eadem fere verba sunt repetita, quae plane eodem modo sunt intelligenda, nisi ex iis, quae mutata sunt, vel ex contextu appareat, ea alii rei esse accommodata [a]), sed etiam ex iis, in quibus eaedem, vel plane similes imagines sunt adhibitae, quia prophetae plerumque solent easdem res eadem ratione exprimere [b]).

a) Sic *Michae* c. 4, 1 sqq. eadem verba repetuntur, quae *Es.* 2, 2. sqq. leguntur, vel contra; nam de hac re disputatur; (Cf. *Koppius* ad *Es.* 2.) et ea, quae adduntur, sententiam plane non immutant, sed faciunt tantum ad imaginem magis magisque expingendam. Hinc non potest dubitari, in utroque loco agi de temporibus N. T. Sed quod carmen 1 *Chron.* 16, 25. cantatum in arca in montem Zionium transportanda, legitur, illi in *Ps.* 96. qui ejus repetitionem continet, additur v. 10. *Deum jam aequo modo populis esse imperaturum*, et v. 13. *eum jam in eo esse, ut imperet populis secundum fidem datam.* Quae additamenta indicare videntur, 1 *Chron.* 16. tantum rationem haberi theocratiae, in tota *Palaestina* jam confirmatae, sed hoc *Ps.* jam respici regnum Dei, per Messiam ad populos exteros propagandum.

b) Quia ergo prophetae in quibusdam locis propheticis, ubi nationes exterae, *Hierosolyma* adeuntes, describuntur, quibusdam notis et formulis adjectis, docent, agi de propagatione religionis christ. quibus locis annumerari potest etiam

etiam *Zach.* 8, 21. 22. licet etiam alia vaticinia, in quibus eadem imago recurrit, v. c. *Ef.* 60. sic intelligere.

9. Si quo in loco prophetico attributa Messiae videantur paullo obscuriora [a]), aut si ea non satis definita sint [b]), aut si dubium sit, utrum ea, quae dicit propheta, optet tantum, an vere eventura praesignificet [c]), utrum praedicta in uno eodemque loco, eodem, an diverso tempore sint dicta exitum habitura [d]), N. T. et historia interpreti sunt consulenda, ex quibus hauriri potest lux clarissima. Nec tamen id est obliviscendum, quod monuimus Prooem. *P.* 2. c) *fin.*

a) Quae *Ef.* 53, 4. de Messia traduntur, ea quidem ex historia de cruciatibus, quos Christus subiit, omnium optime illustrari possunt; atque eadem nos docet, v. 9. per se paullo obscurioris sensum hunc esse: *Destinatum quidem ei erat sepulchrum cum maleficis, sed in morte sua* (*vel* mortuus) *divitibus fuit similis*, (sepultus quippe in viri divitis sepulchro). Ubi agitur de nationibus, imperio populi Israëlitici subjiciendis, ibi praesignificari earum adjunctionem ad rempublicam Messiae non terrenam, docere nos possunt loci N. T. in quibus, quae ejus regni sit ratio, indicatur, v. c. *Ioh.* 17, 30. *Rom.* 14, 17. *Ioëlis* c. 3, 5. et *Mal.* 3, 20. agi de *Christianis*, in *Hierosolymorum* excidio servatis, quia, monitu divino jussi, *Pellam* secesserant, docet historia.

b) V. c. ista formula: *progenies Evae, reparabit damnum, a serpente illatum*, ex historia N. T. potest et debet illustrari.

c) Possint quidem ea, quae Ps. 68, 30. et 32. continentur, per usum linguae, ut votum prophetae, verti. Sed cum exitus docuerit, hic dicta evenisse, cum religio jud. et christ. propagaretur ad *Aegyptiacos* et *Aethiopes*, atque ad reges exteros, vix potest dubitari, hanc esse praedictionem.

d) V. c. in iis locis, in quibus propagatio religionis christ. praedicitur, nationes plures ita enumerantur, quasi uno eodemque tempore ejus sacra amplexurae essent, sed diverso tempore hoc factum est. Ergo haec juncta tantum sunt per visionem opticam. Cf. §. 1. e).

10. In locis allegoricis [a]) tam subjectum, verbo tropico insignitum [b]), quam attributa, metaphoris, allegoriae aptis, indicata, ex iis, quae verbis propriis sunt expressa, definienda sunt, vel omnino ex adjunctis, quibus admonemur, qua ex parte spectanda sit similitudo, intercedens inter res, quae in allegoria invicem comparantur, id est vel

ex usu loquendi, vel ex natura rei, vel, quae sunt certiora indicia, ex orationis contexto et historia.

a) Notas, ex quibus agnosci possit locus allegoricus, indicavimus §. 11. a). Has neglexit *Theodoretus* in *Quaest.* ad *Gen.* 49, 11. ubi sumit, per *vitem* populum *jud.* esse intelligendum. Cf. etiam *Husnagelii* diss. 1. p. 13.

b) Hoc interdum facile potest agnosci ex iis, quae sunt addita. V. c. *Ps.* 80. *vitem* significare populum *jud.* ipse poëta indicat. Cf. §. 11. c. Occurrit etiam ejusmodi allegoria in quibusdam vaticiniis Mess. v. c. *Es.* 11, 1. Hic dicitur *virga* ex *stirpe Isaei* et *surculus* ex *radicibus* ejus *germinare*; sed per *virgam* et *surculum* subolem, vel progeniem intelligendam esse, ex attributis, quae v. 2. sequuntur, colligi potest. Similitudo, postero illi *Isaei* cum virga et surculo intercedens, indicatur ipso verbo יצא *prodibit*, i. nascetur ex familia *Isaei*, quasi ex *stirpe*. Gentis vero *Davidicae* comparatio cum trunco et radice, i. e. cum arbore, usque ad radicem succisa, nititur contemtu utriusque simili. Ex hac enim parte spectandam esse similitudinem, contextus docet; nam haec stirps opponitur sylvae succisae, c. sup. commemoratae. Idem confirmat historia. Nam ex familia *Isaei*, isto tempore admodum contemta, natus est Messias. Usum vero loquendi cujuslibet linguae pati, ut suboles per *surculum*, familia per *stirpem* exprimatur, non eget demonstratione. Ceterum haec copiosius exposuit *Morus* in *progr.* laud. usus exemplo, ex *Homeri Odyss.* 15, 249 — 251. petito.

11. Quae autem amplificationi poëticae, vel ornatui data sint, ea facile dignoscet, qui haec observaverit. Primum quidem, quod hemistichium alii adjicitur, de eodem subjecto agens, in eo per parallelismi poëtici legem non tam nova sententia exprimitur, quam superior vel definitur, vel illustratur[a]); deinde ubi generi, aut toti alicui commemorato, formarum, partium, aut rerum singularum descriptio subjicitur, aut praemittitur, haec descriptio pertinet ad ornatum poëticum, qui requirit, ut imagines singularum quarundam rerum, quae sunt ejusdem generis, nostris oculis quasi praesentes proponantur; iis ergo illustratur propositio universalis, quae elicienda est etiam ex iis locis, in quibus poëta per singula eundo totum genus exprimit[b]). Tertio, in loco allegorico non singulae picturae urgendae, sed, spectata notionum, iis expressarum, similitudine, ad unam enunciationem sunt revcandae[c]). Quae autem alicui loco ita addita sunt, ut neque superiorum explicationem, neque illustrationem, aut amplificationem continere possint, quia, si verborum sensum ad usum loquendi communem,

munem, aut poëtae proprium, exegeris, notiones plane diversae, saltem aliae inesse videantur, iis, si proprie accepta, admittant interpretationem, cui exitus faveat, non inferri debet significatus parabolicus, praesertim si ab usu linguae paullulum abhorreat[d]). In quibus autem locis dubium est, utrum quaedam περίστασις commemorata sit exornandae alicujus imaginis caussa, an prophetiae magis magisque definiendae gratia, in iis haec dubitatio conferendo cum praedictione eventu omnium optime tollitur[e]). Idem etiam docere potest, utrum in eo loco, in quo fertilitas, vel alia felicitas terrena promissa sit, ea ipsa et sola, an major et vera aut omnis omnino felicitas, sit intelligenda[f]).

a) De parallelismo sententiarum, quo carmina *hebr.* pleraque a prosa distinguuntur, ejusque utilitate in explicandis locis poëticis consuli potest *Lowthus* in prael. 19. l. c. *Michaelis* in *Epimetr. Starkius* p. 628. et *Scleusnerus*, nunc Prof. theol. Gotting. in diss. *de parall. sent. egregio subsid. interpr. gramm.* Uno exemplo, ex vaticinio Mess. repetito, defungar. Ps. 16, 10. dubitari possit, an in membro primo descensus Christi ad inferos, quem dicunt, praedicatur, quia formula: *animam meam in orco non relinques*, est ambigua: neque ista ambiguitas tollitur observatione notissima, נפשי vices pronominis sustinere; nam, utrum *pronomen* animam, an corpus significet, non est certum, nisi ex contextu, vel ex oppositione, ut *Hom. Iliad.* l. 1. 4. Sed cum sequatur hoc: *tu non permittes, ut ego, tibi carissimus, corruptionem patiar*, parallelismo synonymorum, qui inter utrumque hemistichium intercedit, observato, constat, in priori hoc inesse: *me* (i. e. corpus meum) in sepulchro non relinques.

b) Sic *Ps.* 8, 7. haec enunciatio: *omnia subjecisti imperio ejus*, exornatur singulis quibusdam generibus animantium, hominis usui destinatorum, commemorandis, ex quibus haec propositio universalis est elicienda: *omnia, in primis animantia, usui vitae apta, ejus potestati sunt tradita*, (non tantum ea, quae appellantur diserte, sed etiam reliqua hujus generis.) *Es* 60, 6. ex commemoratione gentium quarundam eliciendum est hoc: *gentes variae*, vel *omnes*, i. e. omnis generis homines, *religionem christ. amplectentur*, (non tantum illae, quae diserte appellantur).

c) Ex pictura ferarum et animantium cicurum, summa cum concordia in uno eodemque loco degentium, colligendum est hoc: homines vel saevissimi, religione emolliti, olim conjungentur. Sic *Virg. Ecl.* 4, 21. imaginibus, ex aurea aetate repetitis, nil indicat, nisi hoc: prisca felicitas et tranquillitas redibit. Non ergo singulae imagines singulas, easque varias, sententias exprimunt.

d) Iob.

d) *Ioëlem* quidem 3, 1 — 5. respicere oeconomiam N. T. docet 1, 2. ubi omnis generis homines spiritus divini participes futuri dicuntur; et *Petrus Act.* 2, 17. indicat, eo ipso, quo loquitur, tempore, hoc oraculum coepisse exitum habere. Sed quae sequuntur, superiorum neque illustrationem, neque amplificationem continent, quia neque eaedem, neque similes notiones possunt his verbis exprimi, sive proprie, sive tropice accipiantur. Iam putant quidem interpretes, his imaginibus poëticis nil, nisi magnam rerum commutationem, significari. Sed haec poëtae fictio videretur nimis audax. Alia est ratio *Es.* 13, 10. ubi praedictioni de excidio *Babylonis*, verbis perspicuis expressae, subjicitur haec amplificatio poëtica: *Stellae et planetae luce sua non splendebunt* etc. Nam sensus quidem est facilis: summa enim caligo describitur, i. e. summa tristitia et miseria per translationem, *Hebr.* usitatissimam. Eodem modo *Ez.* 32, 7. praedictae stragi cruentae additur imago summae caliginis, vel moeroris maximi. Verum h. l. possent quidem verba: *Tunc edam prodigia in coelo atque in terra*, magnam rerum commutationem significare, sed quia adjicitur, *sanguinem et ignem et fumi assurgentis columnas*, plane nova notio videtur exprimi Neque patet, quomodo conspirent cum his imagines sequentes: *Sol in tenebras vertetur, luna in sanguinem.* Hinc quidam putarunt, describi extremi diei adventum, cui opinioni favet finis v. *antequam veniat dies ingens et terribilis.* Verum cum plane nullus nexus sit tristissimae huic descriptioni cum laetiore illa: ego existimaverim, id indicari, quod v. 3. verborum significatus proprius prodit: statim post illud tempus spectacula mira et inaudita videbitis in coelo et terra, in terra quidem sanguinem (effusum in bello funestissimo,) in coelo autem ignem et fumum, adscendentem ex urbe *Hieros.* accensa. Isto fumo sol quasi caligine involvetur, isto igne, (noctu clarius lucente,) luna quasi sanguine rubescet. Hanc interpretationem adjuvat historia, ex qua constat, religione jam paullulum propagata ad omnis generis homines, *Hierosolyma* destructa, sed Christi cultores servatos esse; uti praedicitur v. 5. Qui legere cupit copiosiorem verborum explicationem et interpretationum diversarum expositionem, is adeat *Dresdii* nostri *progr. pentecost.* 1782. et 1783. edit.

e) *Zach.* 9, 9. 10. praedici Messiae adventum, patet ex v. 9. ubi rex, pacis studiosissimus, ad *Hierosolymitanos* venturus dicitur, et ex v. 10 ubi regni ejus fines, usque ad extremam terram patentes, commemorantur. Sed utrum haec: *veniet, vectus asino et pullo eius*, meram imaginem regis pacifici contineant, aptissimam quidem, quia reges in istis terris pacis tempore asinis equitant, neque equis, nisi in bellis, locus est, an περίστασιν, vere eventuram, significent, dubitari potest. At eventus, qui in tali caussa solus pronunciare potest, (*Matth.* 21, 2.) nos docet, hoc additamentum non mero ornatui esse datum.

f) Sic v. c. Ps. 72, 16. et in locis similibus per elegantem fertilitatis summae descriptionem, *Es.* 2, 2. et in locis parallelis per imaginem pacis per morem,

rem poëtis in omnibus linguis frequentem, universam felicitatem, quae maneat Messiae cives, indicari, ex eo patet, quod non haec terrenae felicitatis pars religioni Christ. est propria, sed longe major beatitas, uti exitus docuit.

12. Uti vero historia, ita etiam accurata temporum descriptio in quibusdam vaticiniis explicandis pronunciare potest, utrum ad Messiam, an ad alium regem referenda sint. Atque ejusmodi prophetias, quas temporis indicium jubeat de Messia explicare, interpreti licet annumerare vaticiniis Mess. certissimis, si aetatis Messianae nota sit evidens ex historia [a]), aut ex annorum, vel aliarum periodorum diserta enumeratione [b]). Neque illa certitudo evanescit, aut imminuitur, si vaticinio, cum exitu comparato, uno vel altero anno aberratum esse videatur. Nam tum error, si quis commissus est, non tam prophetis, quam chronologis, qui facile labi potuerunt [c]), imputandus est; aut potius dissensus, qui inter chronologiam et prophetiam intercedit, componendus est observatione virorum eruditissimorum verissima, prophetas, uti etiam nunc in vita communi fieri potest, annos cavos pro plenis computasse [d]). Atque adeo ne tum quidem de vaticinii Mess. veritate actum esse videtur, cum discrepantia, inter prophetiam et chronologorum computationem intercedens, non potest conciliari, nisi vocabula, quibus annorum numerus exprimitur, ratione extuleris, diversa ab ea, quam Masorethae secuti sunt [e]). Etenim levis ejusmodi mutatio, si a contextu et usu linguae quodammodo requiratur, neque omni adminiculo criseos destituatur, probabilior est pronunciatione vulgari. Atque si ea admissa, prodeant ejusmodi periodi, quas, si verba vaticinantis accommodate ad usum loquendi et ad contextum explicaveris, annis eum, quem *Iudaei* tempore isto iis tribuere solebant, ambitum assignaveris, chronologias verisimillimas secutus fueris, a propheta indicatas et iisdem, quae praesignificata erant, eventis insignitas, *historia* cum praedictione collata, intellexeris, *ista historiae* et chronologiae cum numeris, a te in oraculo non temere lectis, conspiratio, quae non casu potest contingere, tibi praestat, in ejusmodi vaticinio vere respici aetatem Messiae, si vel maxime ejus notae non adeo luculentae insint. Haec est ratio *Dan.* 9, 24. sqq. [f]).

a) Ejusmodi indicium nos reperisse nobis videmur *Gen.* 49, 10. cf. §. 9. 10. idem invenit *Grotius Hagg.* 2. et *Malach.* 3. ubi Messias venturus dicitur ad templum alterum, quo nomine recte insignitum esse templum, in quo hic docuit, etsi illud ab *Herode* per partes paullatim innovatum erat, monet idem vir doctus *de ver. rel. Christ.* p. 263. idque copiosius docet *Ernesti Opusc. phil. et crit.* p. 352.

b) Non enim casu fieri potuit, ut plane eodem numero annorum, quem propheta definiverat, praeterlapso, ea, quae praedixerat, evenirent.

c) Hoc colligere licet ex diversa numerandi ratione, quam observare licet, collatis operibus chron. pluribus; idem ipsa res docet.

d) Cf. *Ernestii inst. interpr.* p. 216.

e) Nam etsi pronunciationi, a Masorethis servatae, propter ea argumenta, quae exposui in *Vindic. disp. de metro Hebr. P.* 1. *p.* 53. etc. majorem auctoritatem tribuo, quam recentiores plerique, ego tamen putaverim, in efferendis iis vocabulis, in quibus ab auctoribus plane nullae vocalium notae essent additae, jam tempore antiquissimo aliquam varietatem potuisse locum habere, praesertim in numeris.

f) Hoc vaticinium quia etiam *Grotius* existimat de Messia agere, et multi, *v. c. Lessius* P. 2. p. 697. propter temporis definitionem annumerant prophetiis Messianis evidentissimis, operae pretium erit, illud ad praecepta, hucusque tradita, examinare. Occasio quidem hujus oraculi intelligitur ex narratione praemissa. Nimirum *Daniel*, attendens ad numerum annorum, quem Deus per *Ierem.* 25, 11. 12. 29, 10. exilio destinaverat, misericordiam ejus implorat, (v. 2.) peccata, quorum poenas *Israelitae* exules dabant, fatetur, (v. 5. 11. 12. 14. 15.). Deumque rogat, ut desinat irasci *Hierosolymis* et *monti sibi sacro* (v. 16.) atque denuo faveat *sanctuario suo* vastato (v. 17.) idque propter dominum, (i. e. vel propter semetipsum per hebraismum satis frequentem, vel propter Messiam, quem *Davides* Ps. 110, 1. adeo dominum suum dixit,) et peccata condonet, (v. 19). His precibus auditis, *Gabriel* dicitur prophetae exposuisse hoc oraculum, (v. 22. 23). Ex his apparet, consilium Dei fuisse, ut hoc vaticinio doceret prophetam, promissum de instaurandis *Hieros.* et templo certissimum exitum esse habiturum. Oeconomia carminis, in quo inest oraculum divinum, est facilis. Nam 1) significatur, id, quod optasset *Daniel*, eventurum intra tempus, h. l. accurate definitum v. 24. 2) Magis explicite indicatur numerus annorum, qui essent praeterlapsuri inde ab edicto de *Hierosol.* instaurandis usque ad regem illum. 25. 3) Prima quidem periodo finita, forum et loca judicii instaurata conspicientur, v. 25. 4) Altera periodo praeterlapsa, rex ille interficietur, v. 26. 5) Tum populus ducis cujusdam destruet urbem sanctam, omniaque vastabit usque ad finem belli, v. 26. 6) Promissi vero, divinitus dati, veritatem cultores Dei multi experientur eo tempore,

que

quo ſacrificia levitica ceſſabunt, deſtructore advolante et vaſtatione adducta, quae perpetuo durabit v. 27. Hunc contextum admittere, ut hoc vaticinium de Meſſia intelligatur, facile apparet. De probitate loci hujus prophetici nemo dubitabit, qui argumenta ſatis gravia penſitaverit, quibus *Eichhornius* l. c. P. III. p. 459. demonſtrat, certe inde a c. 7. — c. 12. *Danielem* ipſum narrantis perſonam ſuſtinere. (Cf. p. 465. et 474.). Atque in ipſa accurata annorum enumeratione, ſiquidem cum ea conſpiret hiſtoria, ineſſe divinae hujus oraculi originis indicium certiſſimum, quis neget? Neque in ſingulis verbis aperta librariorum vitia offendere licet, quia ea exhibent ſenſum probabilem et commodum, et, quae vocabula inuſitata occurrunt, ea *Danieli*, inter *Chaldaeos* educato, facile poſſunt condonari. Reperiri tamen ſatis multas hujus loci varias lectiones, in *Codd. Mſſ.* et in verſionibus antiquis ſervatas, *Kenn. Biblia et Michaelis Verſuch über die 70 Wochen Daniels* docere quemque poſſunt. Iam ſi uſum loquendi interpres ſpectaverit, ille facile a ſe impetrabit, ut credat שבוע poſſe ſeptennium ſignificare, quia revera hebdomada innuit, quo nomine a *Graecis* numerum ſeptenarium ſignificatum, et a *Varrone*, addito annorum vocabulo, ſeptennia eſſe indicata, ex *Gell.* 3, 10. colligi poteſt. Atque etiam h. l. ſeptennia eſſe intelligenda, inde liquet, quod ex v. 2. cognoſci poteſt, hoc vaticinium prophetae eſſe traditum, cum cogitaret מספר השנים, et quia reſpicitur ad locos *Ierem.* in quibus ſeptuaginta *anni*, non *dies* commemorantur. Accedit, quod propheta c. 10, 2. cum per שבעים exprimere vellet hebdomadas dierum, diſerte addidit ימים, ut ſignificaret, has hebdomadas differre ab hebdomadibus c. ſup. commemoratis. Iam quidem objiciunt quidam, lectionem h. l. non recte ſe habere, quia quoties ſubſtantiva, tempus indicantia, junguntur cum numeris cardinalibus, numerum III. excedentibus, ea poſtponuntur. Licet autem reſpondere, *Danielem* hujus praecepti non memorem fuiſſe; nam c. 10, 2. hac lege neglecta, numerum minorem praemittit, uti h. l. majorem poſtponit. Poſſint tamen, facillima mutatione admiſſa, haec ſic legi: שְׁבֻעִים שְׁבְעִים, uti LXX, ex *Chiſiano Cod.* nuper editi, et *Theodotion* pronunciaſſe videntur, quia vertunt ἑβδομήκοντα ἑβδομάδες. Sed cum v. 25. v. שבעים numero ſit praemiſſum etiam in verſione *Theod.*, ego putem, hunc verborum poſitum *Danielis*, inter exteros verſantis, licentiae eſſe dandum. חתך ſignificare, definire computatione, docet *Harenbergius in Aufklärung des Buchs Daniels* p. 427. נחתך vero videtur eſſe ſubſtantivum, fictum ad formam בָּכָה, ab בכה ducti. (Cf. *Simon. arcan. formar.* p. 328). Poteſt ergo ſignificare h. l. numerum definitum, aut, ſi malis, fatum divinitus deſtinatum, (cf. *Mich.* p. 41). Hoc ſumto, nulla cauſſa reſtat, ob quam hoc voc. a verbo, *Chaldaeis* etiam uſitato, ortum, *Danieli* eripiatur. In formula לכלא הפשע explicanda cum *Haſſencampio* facio, pro לחתם tamen ex margine equidem malim ſubſtituere להתם, ſuadentibus hoc etiam verſionibus quibusdam antiquis, quia ex ſequente ולחתם lect. textus nata videtur. Sed ſenſum eundem utramque lect. exprimere, docet *Haſſencamp.* צדק עלמים per

uſum

usum loquendi tam probitatem aeternam, quam benignitatem Dei potest significare, monente *Dathio* ad h. l. hanc vero quia sibi expetiit *Daniel* v. 17. et 18. et quia haec interpretatio adjuvatur parallelismo membri prioris *ad expiandam iniquitatem*, ea mihi videtur praeferenda. חזון ונביא per ἓν διὰ δυοῖν, Hebraeis satis frequens, vel prophetiam *Ierem.* quam *Dan.* in mente habebat, uti *Mich.* existimat, significare, vel collective dici posse pro vaticiniis prophetarum omnibus, Messiam spectantibus, *Hassencampio* docente, neque opus esse *Codicis Casel.* הנביא, et *vaticinia obsignare* esse idem, quod *implere*, hoc vix eget demonstratione. קדש קדשים notare sanctuarium, non vero hominem sanctissimum, et משח posse etiam usurpari de rebus sacris, docet *Mich.* p. 73. et *Dathius* ad h. l. Verum, utrum sanctuarium dicatur proprie, an tropice, non, nisi collato hoc oraculo cum exitu, evinci potest. V. 25. להשיב ולבנות per usum linguae vel idem valet, quod *instaurare*, uti תשוב ונבנתה *instaurabitur*, vel, siquis, cum *Harenb.* nolit concedere, שוב in *Hiph.* vices *adverbii* sustinere posse, is tamen largietur, השיב significare *instaurare*, atque לבנות esse ejus synonymum, aut, si ex v. 24. עם intelligatur, דבר להשיב edictum de reducendo populo indicare. משיח esse h. l. *substantivum*, inde patet, quia praeponitur; atque adeo videtur esse nomen proprium, quia neque יהוה additur, neque ה praemittitur. Cf. *Mich.* p. 115. et *Less.* p. 700. נגיד vel victor, uti *Hassencamp.* putat, vel ultor, ut *Iungius* existimat, dicitur, ex usu linguae arabicae; post נבנתה intelligendo repeti debere ירושלים, ipsa forma femin. docet, atque tum ante רחוב intelligendum est ב: *Hieros. plane instaurabuntur una cum foro et* judicio, quam vim חרוץ habere, ostendit *Hass.* p. 66. vel potius, *cum judiciorum locis.* ו ante בצוק significare *etiam*, monet idem. V. 26. כרת dici de morte violenta, notum est. *Occidetur Messias* ואין לו, *neque illi aderit quisquam*, (scil. qui eum defendat,) vel, uti *Velthusenius in Muthmass. über d. sieb. siebenzig Jahre* mavult, *omni posteritate* destitutus. עם נגיד הבא est populus alicujus victoris, vel ultoris, post Mess. venturi. Nam per הבא ille videtur distingui a victore, aut ultore, supra commemorato. Per בשטף *quasi cum inundatione* nihil, nisi celeritas interitus ingruentis indicatur. נחרצת שממות desolationem maximam exprimere, docuit *Hass.* p. 73 — 76. V. 27. formulam, *Danieli* propriam, הגביר ברית לרבים, significare per linguae hebr. analogiam, *foedus multis confirmare*, adeoque idem esse, quod הקים ברית *Dathio* et *Hass.* quis non concedat? Quale vero foedus, vel qualis promissio intelligi debeat, non potest definiri, nisi ex eventu. שבוע etiam h. l. septennium indicet, necesse est, quoniam a supra commemoratis שבעים non distinguitur, addito voc. ימים, uti c. 10, 2. Quia vero ה non est praemissum, adeoque septennium quoddam indefinite notatur, uti monet *Mich.* p. 220. dubium est, utrum septennium illud, quod requiritur ad septuaginta septennia explenda, an aliud septennium, sive latens in numeris superioribus, sive ab iis plane distinctum, indicetur. Formula autem: *haec hebdomas media imponet finem sacrificiis* vel proprie dicitur, vel tropice de sublata necessitate sacrificandi, uti eam *Dath.* cum

cum *Hass.* accipit. כנף si proprie dicatur, sensus satis commodus prodit: *alis horrendis advolabit destructor.* (cf. Ps. 18, 11. et *Velth.* p. 21.) עד h. l. aeternitatem innuere, cum *Dath.* et *Hass.* contendo; nec tamen puto, hunc esse *nominativum*, sed sumo, ל, uti ante עולם interdum, hic neglecto, עד significare, *in omnem aeternitatem*; tum apparet, cur תחך, quae est forma fem. sit additum. Hoc vero verbum, cujus fut. *Niph.* hic reperio, facta apocope literae ה, non a חוך ducendum est, sed a תכה, cujus *Conj. Püal* occurrit *Deut.* 33, 3. et significat procumbere, cubare, uti etiam arab. תכא nos monet; (neque v. 11. תחך alio sensu accipiendum est.) Ergo hoc dicitur: *per omnem aeternitatem maxima vastatio incumbet loco diruto.* Neque aliud verbum expressere *Syr.* per *quiescet*, et *Vulg.* qui h. l. non sequitur LXX. per *perseverabit.* In h. l. non inesse votum, sed praedictionem, quilibet sentire potest. At vero jam quaeritur, an in hoc oraculo fortasse aetas, prophetae proxima, spectetur, quod existimavere, qui per משיח *Cyrum* intellexere, (cf. *Harenb.* 450.) Quae quidem opinio optime mihi exornata videtur in l. *Londini* 1776. ed. (*a free Inquiry into Daniels Vision or Prophecy of the seventy Weeks.*) Atque haec interpretatio occasioni, per quam oraculum est editum, bene convenit. Iam dubitari quidem possit, an שבוע in h. l. in quo respicitur ad *annos*, possit dierum hebdomada significare, cum ימים non sit additum, atque an משיח possit *Cyrus* dici, cum propter ea, quae supra indicavimus, hoc videatur esse nomen proprium, idque certum sit, hic non respici ad *Ies.* 45, 1. (ubi idem dicitur משיחו, quia tum saltem המשיח *rex ille* dicendus fuisset. Sed ne nimis difficiles videamur, neutri dubitationi inhaereamus, modo numerus hebdomadum hanc explicationem confirmet. Sumit *Anonymus*, septima hebdomade post hoc oraculum traditum *Darium Medum*, cujus anno primo *Daniel* illud acceperit, mortuum esse. Hoc fortasse, licet nobis concedere, si *Darius Medus* fuit *Cyaxares* II. a *Xenophonte* commemoratus, quod demonstrare conatur *Hutchinsonus* in diss. 1. 4. Vol. I. p. 49. ed Lips. 1763. Sed ex eo, quod *Cyaxares* ab hoc commemoratur, et quod *Iosephus*, eum secutus, eundem pro *Dario Medo* habet, non certum est, hunc revera regno Babyl. ita potitum esse, ut anni ab ejus imperio numerarentur, quia *Xen.* uti *Zeunius* noster in praef. *Cyrop.* praemissa, dicit, *explanat praecepta, et factis, sive veris, sive fictis, illustrat*, et quia, uti idem ad l. 1. c. 5, 2. notat, *ceteri scriptores ignorant plane Cyaxarem, Astyagis filium, et Astyagem faciunt ultimum Medorum regem.* Unus tamen *Aeschylus, Xenophonte* antiquior, in *Pers.* v. 762. sqq. indicat, hunc *Cyax.* exstitisse, si quidem *Medus* ab eo appellatus est *Astyages*, uti, praeeunte *Marshamo*, *Graeuius* ad *Iustin.* l. 1, 7. et *Schützius* in *Excursu* II. ad v. 762. *Pers. de serie regum Persarum* demonstrat. Sed quanquam ille exstitit, atque etiam fortasse regno *Medorum* post *Astyagis* mortem praefectus est, tamen hinc non efficitur, eum post *Babylonem* captam primum fuisse regni Bab. imperatorem, quod ne *Xen.* quidem dixit. Nam *Cyrop.* l. 8. c. 5, 17. *Cyrus* tantum ait, *Cyaxari* domum, et regiam

 (ἀρχεῖα)

(ἀρχεῖα) *Babylone* delectam esse, ut, si etiam illuc venisset, tanquam in sua deverti posset. Eadem fere ratione l. 7. c. 5, 35. sociis rerum, a se gestarum, tum alias domus, tum principum aedes distribuisse dicitur. Hanc vim enim ἀρχεῖα habere, monet *Zeun.* in *Ind.* et docet *Witter* ad *Thomam* p. 145. Ceterum *Darium Med. a Dan.* commemoratum, *Astyagen* esse, jam in dubitationem vocavit *Theodoretus* in *comment.* in *Dan.* idque refutavit etiam *Hutchin.* l. c. Verum *Scaliger*, *Calvisius*, *Strauchius*, alii, putarunt, *Darium* hunc esse *Nabonnedum*, qui a *Beroso* ap *Ios. c. Ap.* l. 1. §. 20. dicitur, vel *Nabannidochum*, qui a *Megasthene* ap. *Euseb. praep. Ev.* l. 9. c. 4, 41. p. 457. *Ed. Col.* commemoratur, vel *Labonytum*, quem *Herodotus* l. 1. 188. et alii ultimum *Babyloniae* regem fuisse, narrant. Sed hic non potest esse *Dar. Med.* quia erat *Babylonius*, filius scilicet reginae *Nitocridis*, ut idem *Herod.* tradit, et *Labonyti*, quem esse *Nebucadnezarum* non potest dubitari, cf. *Herod.* l. 1, 74. et *Harenberg.* p. 244. Hic non temere contendit p. 243. *Nerigliſſoorum*, generum *Nebucadnezari*, esse *Dar. Med.* quem certe exterum fuisse, demonstrat. Atque adeo hunc fuisse *Medum*, ex *Canone regum Ptolomaei*, quem *Calvisius* in *isag.*, *operi chronol.* praemissa, c. 11. edidit incorruptum ex *Cod. Ms. Londini* extante, colligi potest. Nam inscriptio, *Chaldaeorum* regibus praefixa, Ἀσσυρίων καὶ Μήδων, indicat, unum saltem *Medum* in horum regum numero reperiri. Nemo autem eorum potuit esse *Medus* praeter hunc et filium ejus, qui a *Ptol.* non commemoratur, quia non regnavit integrum annum. Atque ipsa vaticinatio, quam *Megasthenes* per traditionem acceptam, *Nebucadnezaro*, afflatu numinis abrepto, tribuit, (*Euseb.* l. c.) *veniet Persicus mulus, qui vobis imponet servitutis jugum, cujus auctor erit etiam Medus quidam, quo Assyrii antea gloriabantur*, indicat, regem illum suspicatum esse, *Medum* aliquem regno *Bab.* potiturum esse: quomodo vero hoc potuisset ei in mentem venire, nisi aliquis *Medus* cum gente regia conjunctus fuisset? Ex eo autem, quod *Philostratus* in vita *Apollonii* l. 1. c. 18. eam fabricam tribuit reginae, ex *Medorum* gente oriundae, quam, *Berosus* narrat, suscepisse *Nitocridem*, patet, hanc etiam *Nebuc.* uxorem originem ex *Media* duxisse; unde li[illegible] colligere, facilem fuisse aditum *Medo* ad affinitatem familiae regiae. Verum si hic est *Dar. Med.* is non potest dici mortuus primo imperii anno; nam eum IV. annos regnasse, et *Beros.* tradit, et ex *Can.* Ptol. constat. Atque adeo illi, qui statuunt, *Cyax.* II. fuisse *Dar.* contendunt, eum saltem II. annos regnasse. (Cf. *Vitringae Hypotyp. hist. sacr.* p. 84.) Facilius *Anonymo* dari possit, LXII. hebdomade post mortem *Darii Medi Iudaeos* reduces coepisse urbem et templum instaurare, collato *Esr.* 3, 1. et 8. Porro ille sumit, v. 26. indicari mortem violentam, quam *Cyr.* subierit in pugna contra *Massagethas*, de qua etsi dubitatur, ea tamen non est improbabilis propter eas auctoritates, quas commemorat *Zeun.* in nota *Cyrop.* l. 8. c. 7. *fin.* subjecta. Sed id concedi non potest, statim post LXII. hebdomadas periisse *Cyrum*, quem IX. annos imperio Bab. praefuisse, ex *Can. Ptol.* apparet, et cui, Babylo-

niis

niis imperanti, certe VII. annos tribuere debent et solent, qui, *Darium* post *Babylonem* captam II. annos rerum summam apud Babyl. tenuisse, statuunt. Cf. *Usserii Annal.* et *Calmeti brev. Chronol.* p. 20. Aut si vel maxime huic *Anon.* per nos liceret, repugnante *Esra*, qui c. 1, 1. dicit, anno primo *Cyri* imperantis Iudaeis potestatem in patriam redeundi datam esse, cum *Scaligero*, (cujus computationem vide in *Schraderi tab. chronol.* collato *Scaligeri* opere *de emend. temp.*,) sumere, *Cyrum* demum anno mundi 3419 *Iudaeos* exilio liberasse, et anno sequ. in proelio occubuisse, ei tamen largiri non possemus, *Darium Medum* anno *praecedente* regno *Bab.* praefectum statimque mortuum esse, cum ipse *Scaliger* statuat, *Cyrum* jam an. m. 3411. *Babylonem* cepisse, a quo tempore vel solus, vel cum *Dario* regnaverit, necesse est. Ergo haec interpretatio plane non potest conciliari cum chronologia. Neque קדש קדשים potest dici *altare holocausti*, exstructum *Esr.* 3, 3. Liceret quidem per unam septimanam, v. 27. commemoratam, intelligere hebdomada, LXII. illas proxime excipientem, qua templi fundamenta sunt jacta; sed quomodo eadem possit dici sacrificiis finem imposuisse, ex historia non constat. Durum etiam est, sumere שמם esse *Cambysen*, qui, si vel maxime indulserit impedimenta urbi instaurandae objicientibus, eam tamen non potest dici vastasse. Ergo משיח h. l. non videtur esse *Cyrus*; an vero Messias sit intelligendus, ex attributis non potest definiri. Nam dicitur quidem violenta morte periturus; sed quis dicat, hoc nemini praeter eum accidisse? An vero reliquorum, quae hic eventura dicuntur, caussa Christus sit futurus, id nequit ostendi, nisi ex chronologia et historia pateat, numeris, hic appositis, indicari illud tempus, quo Messias ea, quae hic commemorantur, praestiterit. Hebdomadas per usum loquendi h. l. significare septennia, jam vidimus. Temere ergo *Origenes homil.* 29. in *Matth.* septem annorum decadas, et *Iudaei* quidam totidem cyclos jobeleos intelligunt. Nec magis probanda est *Bengelii* opinio, propugnata a *Crusio Theol. proph.* p. 411. sqq. qua recepta, statuendum esset, septennia illa singula complecti fere octo annorum periodos, ut hac ratione 490. anni conficiant propemodum 556. Ea enim abhorret ab omni usu vitae communis, quem prophetae non poterant negligere, si vellent intelligi. Sed quaeritur, quales anni h. l. sint numerandi? Nam *Africanus*, quem *Euseb. Theodoret. Beda*, alii, nuper etiam *Michaelis* secuti sunt, statuit, indicari annos lunares. Iam negari quidem non potest, *Hebr.* usos esse mensibus lunaribus; sed formam diversam annorum, apud varias gentes introductam, annos ipsos non mutare, quippe qui semper ad coeli tempestatem revocati, intercalando annis solaribus aequales redditi sint, docet *Frankius* in *praef. novo systemati chronologico* praemissa, addicente *Gatterero.* Neque periodum LXX. hebdomadum esse posse mere lunarem, idem l. 1, 1. §. 8. monet. Porro a vita communi alienam esse computationem temporis, quae solis annis lunaribus decurrat, docet *Velth.* l. c. p. 9. Iam quidem ex v. 25. satis elucet, septennia ista numeranda esse inde ab anno eo, quo edictum de urbe instauranda

esset

esset promulgatum. Sed hoc quater saltem factum est. Nimirum anno primo *Cyri* imperantis *Esr.* 1, 1. anno secundo *Darii Hysdasp.* vel *Nothi*, uti alii malunt, praeeunte *Scalig. Esr.* 5, 1. coll. *Hagg.* 1, 1. et *Zach.* 1, 1. anno septimo *Artaxerxis Esr.* 7, 6. denique anno ejusdem vicesimo *Neh.* 2, 1. Plerique autem, etiam *Less.* l. c. intelligunt *Artaxerxem Longimanum*, alii *Mnemonem.* Iam quia ex v. 26. perspicitur, periodis his praeterlapsis, Messiam interfectum iri: hic videtur septenniorum illorum finis esse. Si vero in *Can. Ptol.* cujus versionem exhibet *Harenb.* p. 228. numeraveris VII et LXII. septennia, vel annos CCCCLXXXIII, pervenitur usque ad annum secundum *Caji*, cum deberet hic numerus tantum pertinere usque ad annum Tiberii XIXmum, uti *Calvisius* docet ad an. m. 3981, ex eclipsi solis et lunae et terrae motu, tum observato etiam in aliis terris, ergo haec supputatio propemodum quinque, *Calvisii*, *Scaligeri* et *Frankii* sex fere, ratio autem *Usserii* tribus annis excedit annum, quo *Christus* mortuus est. Sed si *Calmeti* rationem sequaris, atque statueris, de quo consentiunt optimi quique historici, (cf. *Schroeckhii* nostri *hist. rel. et eccles. P.* I. c. I. §. 8.) Christum mortuum esse anno verae suae aetatis trigesimo tertio, tum inde ab anno vicesimo *Artaxerxis Longim.* non, nisi CCCCLXXXIII anni numerantur usque ad Messiae mortem. Non tamen necesse est, ut eum sequamur, cujus ratio accurate respondeat nostrae interpretationi; etenim, si sumseris, quod sumi potest, in computatione prophetica primum et ultimum septennium cavum pro pleno esse numeratum, ut numerus rotundus prodiret; omnia bene se habent. Posset quidem, si statueremus, in computandis his annis etiam septuagesimum septennium esse numerandum, illud vero v. 26. hanc ob causam esse omissum, quia hic non indicandum erat illud septennium, quo durante, sed ea, quibus plane elapsis, Messias esset moriturus, computatio accuratissima concinnari, si ad septimum *Artaxerxis* regnantis annum rediremus, quia sex anni, qui secundum rationem chronologorum plerorumque mortem Christi excedebant, septennio adjecti, efficiunt XIII. Sed superior ratio mihi videtur simplicior atque etiam verisimilior, quia superius illud edictum non urbis, sed templi tantum aedificationem spectat, in hoc vero, uti in v. 25. urbis instauratio diserte commemoratur; quod observavit jam *Vitringa* l. c. p. 105. Sic quidem non patet, cur VII. septennia dirimantur a reliquis; iis enim elapsis nihil notatu digni videmus contigisse: videtur tamen ipso v. 25. indicari, spatio horum XLIX. annorum totius urbis exaedificationem, quam tot annos requisivisse, quis neget? absolutum iri. At v. 26. praesignificatur, quid eventurum sit post LXII. septennia. Occidetur nimirum Messias; atque haec erit caussa, ob quam urbs et templum iterum destruetur ab exercitu victoris, vel ultoris cujusdam futuri. Quae posterior enunciatio pro more Hebr. poterat necti cum superiore per ו, etsi id, quod ea exprimitur, multos annos post mortem Christi exitum esset habiturum. Ne vero *Dan.* putaret, tum actum fore de cultoribus Dei, v. 27. additur, promissa divina, vel tristissimo isto septennio, in quo bellum *jud.* ultimum omnia vastaturum,

et

et cultui levitico finem esset impositurum, (cf. *Mich.* p. 221.) rata et firma fore; scilicet promissa de piis servandis vel in excidio urbis, (*Ioel.* 3, 5.) ut ipsa historia docet. (Vid. 9. a) et 11. d). Sed LXX septennia, quae v. 24. commemorata sunt, pertinent usque ad annum Christi XLV*tum* vel sextum, certe usque ad ann. XLmum, ante quem peccata *Iud* cohibita, deleta, expiata, prophetiae de Messia atque ejus regno expletae, et sanctum sanctorum dedicatum dici poterat, si haec formula per tropum, propheta non indignum, intelligatur de ecclesiae christ. fundamentis, in terra *Palaestina* et vicinia jactis. Cf. *Usserii Ann.* ad an. Chr. 37. sqq. Atque hoc oraculi initium, sic intellectum, bene etiam respondet precibus *Dan.* quia ille ex eo poterat colligere, non tantum finem exilii instare, sed urbem etiam saltem per CCCC annos salvam fore, atque intra hoc temporis spatium peccata omnia expiatum, et sacrarium longe illustrius dedicatum iri. Quae quidem omnia, si chronologiam, paullo ante indicatam, sequamur, ipso eventu quasi alligantur Messiae, quem prophetam in animo habuisse, probabile est, si vel maxime non concedatur, v. 17. per אדני eundem indicari, quanquam aequissimus quisque interpres largiri debet, per usum linguae v. illum sic posse explicari: *favore tuo restitue sanctuarium tuum vastatum propter dominum,* (promissum *Ps.* 110 et passim,) i. e. ut Messias illud adire, in eo docere possit, quod futurum esse, postea praedixit *Hagg.* 2, 10. et *Mal.* 3, 1. Sed si cui improbetur haec interpretatio hanc ob caussam, quia mirum possit videri, *Danielem*, jam ante *Cyri* imperium preces fundentem, iuberi quasi annos numerare inde ab eo edicto, quod, ipso superstite, ne promulgari quidem potuit: ei ego putem proponi posse aliam explicationem, melius adeo convenientem cum verbis textus, et chronologia, modo liceat quasdam vocales, vocabulis quibus numeri annorum exprimuntur, subjectas, mutare ad leges critices non improbabiles. In hac exponenda utar libris virorum Celeb. paullo ante commemoratis, aliisque, adhibito tamen aliquo temperamento. Primum igitur equidem lego v. 24. שִׁבְעִים שְׁבֻעִים, suadente *Hassenc.* puto vero hunc sensum esse: Septuaginta, septuaginta inquam, i. e. non, nisi septuaginta annorum numerus destinatus est populo — ad poenas promeritas explendas - - et ad templum instaurandum, i. e. quo finito, templi instauratio inchoabitur; eiusmodi vero repetitio affirmanti aliquid certissime non tantum in lingua hebr. sed etiam in aliis, est solemnis Cf *Deut.* 6, 20. In tali contextu, per prophetae visionem vaticinium *Ierem.* comm. intelligendum esse, non dubitari potest. At v. 25. sequitur praedictio eorum, quae *Iudaeos* manebant, exilio finito. Iam quidem per דבר intelligere licet cum *Mich.* jussum aut promissum Dei de instauranda urbe, cum *Gabriele* a Deo communicatum, aut edictum *Cyri*, quo Iudaeis redeundi *Hier.* et templum aedificandi potestas est facta *Esr.* 1. nam hoc quidem est omnium illustrissimum Atque hoc etiam potuit indicari per דבר להשיב i. e. edictum de reducendo populo, (quam interpretationem haec voc. admittere, monuimus). Illud vero promulgatum est anno primo *Cyri, Babyloniis* imperantis, quem esse nonum ante ejus

obi-

obitum, ex *Ptol. Can.* colligimus; qui vero putant, *Cyaxarem II* imperio *Chald.* praefectum esse eodem anno; iis suaserim, ut a primo huius anno, quo *Dan.* hoc oraculum accepisse, constat ex v. 1. in numerando ordiantur. Sed iam majore numero opus est, quam CCCCLXXXIII. vel XC; hinc שִׁבְעִים שִׁבְעָה cum *Dath.* et *Hass.* cui jam praeluserat *Mich.* pronunciandum, et vertendum est *septuagies septem*; sequenti quoque voc. iisdem auctoribus, possint subjici eaedem vocales שִׁבְעִים, ut sic prodeant CCCCXC, LXX, et LXII anni. Sed quia sic numerus primus non pertinet usque ad annum, quo *Pompejus Hier.* occupavit, nisi sumas, hos esse annos mere lunares, quod vix concedi posse, supra ostendi, et quia infra שבוע dicitur septennium, mihi magis arridet ea horum voc. efferendorum ratio, quam proposuit *B. Blanay.* in diss. *by way of inquiry into the true import and application of the vision related Dan.* 9, 20. et *Iungius in Isagoge in hist. N. T. Francof. ad Moen.* ed. nimirum haec: שְׁבֻעִים שִׁבְעָה וְשִׁבְעִים, aut potius propter ea, quae supra sunt dicta de substantivo hoc, numeris postponendo, שְׁבֻעִים שִׁבְעָה שִׁבְעִים, neglecta copula ו, addicentibus II *Codd. Kenn.* aut, quod et ipsum usus linguae requirere videtur, praemissa ea vocabulo שבעה auctoritate *Cod. Kenn.* I. Sic prodeunt septennia LXXVII et LXII anni, qui a septenniis distinguuntur, vel quia iis periodus peculiaris debebat indicari, vel quia illi ad septennia revocari commode non poterant. Neque hanc verba haec efferendi rationem veteribus ignotam fuisse, indicio sunt LXX, ex *Cod. Chis.* nuper ed. Nam semel illi habent: καὶ μετὰ ἑπτὰ καὶ ἑβδομήκοντα sc. ἑβδομάδες, quod voc. intelligi debet ex v. 24. καὶ ἑξήκοντα δύο, iterum v. 27. illi exhibent, καὶ μετὰ ἑπτὰ καὶ ἑβδομήκοντα καιροὺς καὶ ξβ ἐτῶν, quae lect. ex glossemate est orta: simul apparet, ו ante שבעים alterum neglectum, atque ante שבעה lectum esse. Sic indicantur LXXVII septennia, vel DXXXIX, et LXII anni. DXXXIX quidem anni pertinent usque ad annum tricesimum *Augusti* imperantis, si sequamur *Can. Ptol.* i. e. ad annum primum post. Chr. nat. (qui dicitur annus Christi nati secundus), uti demonstrat *Calvis.* Isag. p. 168. sqq. Conspirat plane huius et *Usserii* ratio, si ab anno, quo *Cyrus* Babyl. potitus est, numerare coeperis. Atque hic ipse annus videtur indicari per עד משיח; nam si sumitur, quod ex *Matth.* 2, 16. colligi potest, stellam, nati Christi indicem, anno, illum, quo magi adveniebant, praecedente conspectum esse, secundo demum eius anno per infanticidium in tota terra Iud. innotuit, regem illum promissum jam esse natum. Atque adeo, *Scaligeri* computatione admissa, inde a captae *Babyl.* anno pervenitur ad ipsum Christi nati annum; Finis ergo huius periodi, sive hic, sive ille figatur, notatu satis dignus est. Sed si consulamus *Frankii syst. chronol.* anno primo *Dar. Med.* vel quod iis, quae supra diximus observatis, perinde est, *Cyri*, qui ipsi est annus 3652. per. Iob. additis 539. annis, efficitur annus 4191. quo, ipso notante, *Archelaus* est relegatus. Hic annus, quo Iudaea in formam provinciae Rom. redacta est, huic reip. adeo gravis erat, ut dignus esset, quo prior periodus finiretur. Cf. *Mich.* p. 145. Iam si paullo ante commemoratorum

chro-

chronologorum, quorum auctoritas non est spernenda, quia *Ptolomaei*, cui mirum in modum conveniunt, rationes observationibus astronomicis nituntur, supputationes secuti, anno secundo addamus annos 62. prodit annus Chr n. LXIV*tus*, quo futuri exitii semina jam spargebantur, uti *Uss.* ad hunc ann. ex *Ios.* de *bel. jud.* l. 2. c. 14. §. 1. docet. Verum, *Frankii* anno 4191*mo* adjectis LXII, nanciscimur annum per. Iob. 4253*um*, i. e. annum secundum post urbis excidium, quo fortasse rex *victor* dici poterat *Vespasianus*, quia, cum anno superiore *Titus* rediisset, et pater et filius ab hac victoria imperatoris nomen acceperunt, uti tradit *Uss.* ad ann. Chr. 71. Verum quia v. 26. *post* annos LXII et urbem et sanctuarium populus victoris dicitur destructurus, non *intra* hanc periodum. prior ratio videtur fere praeferenda, etsi in ea aliquot anni videntur desiderari. Sufficit, LXII illos annos pertinere usque ad annum eum, quo, cum Messias ultor, (נגיד enim hanc vim admittere, vidimus), permitteret, ut *judaei* urbis et templi destruendi materiam *Romanis* exhiberent, ille a propheta dici poterat ad has poenas, ab illis sumendas, venisse. Iam ultima verba v. 25. ad v. sequ. sunt transferenda, cuius initio melius convenit descriptio prosperae, qua post exilium resp. esset usura, conditionis, quam superioris fini. Dicitur vero hoc: *instaurabitur quidem forum cum omnibus judicii locis vel in temporibus afflictissimis. Sed post illa septennia*, (nam ה indicare potest, hic respici ista septennia, quorum numerus paullo ante erat accurate definitus), *et post* LXII *annos*, (accentuum enim neglectum requirit fere necessitas hoc *substantivum* numeris postponendi), *occidetur Messias.* Sed cum hoc multos annos post periodum primam sit factum, quaeritur, quomodo huic difficultati possit succurri? Duplex autem medicina in promtu est. Etenim quia poëtae hebr. interdum ad parallelismi concinnitatem augendam duo hemistichia in quatuor dirimunt, uti in *nova l.* 1 *Sam.* 6, 19. *interpr. rat.* ostendi, in h. l. explicando tertium cum primo, quartum cum secundo necti potest hoc modo. *Post septennia quidem plura*, (videtur enim sumi posse, septennia illa h. l. dici indefinite si haec forte fuerit omissi numeri caussa), *Messias occidetur. Sed post* LXII *annos per exercitum ultoris venturi urbs et sacrarium destruetur.* Verum per usum linguae hebr. per *fut.* prius potest etiam antecedens, per posterius consequens indicari, ut *Ies.* 41, 18: *apertis in clivis fluminibus, et fontibus in vallibus. deserta mutabo in stagna.* Hoc admisso, haec dicuntur: Post septennia illa (LXXVII) et annos LXII, ubi Mess occisus fuerit, urbs et templum evertetur. Ego fere malim priorem rationem praeferre, utpote concinnitati carminis aptiorem. Ceterum ultimum septennium v. 27. per quod cum *Harenb.* et *Mich.* intelligo VII illos annos, quibus bellum *jud.* ultimum urbem, templum totamque illam terram vastavit, et quo medio cessarunt sacrificia, uti *Mich.* p. 225. accurate demonstrat, non potest necti cum annis LXII. sive hanc, sive illam temporis descriptionem sequamur. Nam si faceremus cum *Frankio*, hoc septennium absolveretur IX anno post urbis eversionem, si reliquorum rationem admitteremus, illud finiretur anno post excidium templi

primo

primo, vel eodem; haec ergo ratio non posset conciliari cum historia, nisi forte auctoritate LXX *Cod. Chis.* קץ pro חצי legeretur; quae lect. non est probabilis. Ipsam vero rationem loquendi videri prodere, illud per se positum esse, supra monui. Quoniam v. 26. celeritas, qua vastatio propagabitur, inundationis imagine jam est expressa, ego non dubito, per כנף locum sacrum, vel altare indicari; sed cum hoc voc. hanc significationem non habeat, equidem malim substituere כַּנָּיו, nam quia כֵּן subinde locum significat, loca ejus (scil. sacrificii), altaria, vel sacrarium, in carmine dici posse, putaverim. Haec lect. confirmatur LXX, *Theod.* al. atque adeo *Hieron.* et *Christi* (*Matth.* 24, 11.) auctoritate. Sed iisdem auctoribus, jam שקוץ legendum est, propterea, quod משמם debet vim genitivi habere. Videtur igitur, ultimo ם translato ad voc. sequens, scribendum מְמשמם, ut haec sit nota genit. poëtis hebr. non minus solemnis, (Cf. Amos. 6, 4.) quam *Lucretio.* Atque adeo interpres *graec.* quem *Theod.* dicit *Mich.* p. 236. quia, שקצ מ neglecto, vertit καὶ εἰς πτερυγίου ἀπὸ ἀφανισμοῦ, illud מ in Cod. hebr. reperisse videtur. Paucis ergo his variis lect. admissis propter rationes, quae vim habeant in arte critica non contemnendam, omnia accuratius, quam postulari poterat ab aequo adversario, (cf. *Velth.* p. 6.) respondent temporis computationi virorum, plane aliam interpretationem sequentium. Hoc unum addo, *Hassenc.* et *Dathii* numerorum pronunciationem, supra indicatam, qua admissa, prodeunt DCXXII. anni, cum nostra ratio non, nisi DCI annos conficiat, posse cum nostra computatione plane conciliari, si sumatur cum *Mich.* initium numerandi a primo *Darii Med.* anno esse faciendum, *Darium* autem esse *Neriglissoorum*, qui cum, *Ptolomaeo* auctore, annos IV, quibus novem menses imperii, a filio administrati, continentur, *Nabonnedus* autem XVII regnaverit, efficiuntur XXI illi anni, qui nostrae rationi desunt. Posset quidem aliquis objicere, jam periodi primae finem non incidere in annum memorabilem. Sed respondere licet, numerum DLX hanc solam ob caussam in duas summas divisum, ut indicaretur, verissime hoc dictum esse, complures *septuaginta* annos populo *jud.* definitos esse, scilicet *septuagies septem* et *septuaginta.* Verum si quis nolit rationem nostram probare, quia in ea numerus annorum definitus non pertineat ad verum belli jud. initium, neque ei arcte cohaereat septennium, v. 27. commemor. ei auctor sim, ut initio numerandi facto a tertio *Cyri* anno, qui forte pro primo haberi potest, septennia illa LXXVII deducat usque ad an. Chr. n. IV*tum*, quo non deberet dici finis periodi alicujus memorabilis indicari, si, quod modo monuimus, observaretur. His additis LXII annis, prodiret an. LXVItus, i. e. primus belli *jud.* Iam, adjecto septennio illo, pervenitur ad an. LXXIIIum, i. e. ad finem istius belli. Biennium autem, imperio *Cyri Babyloniensi* hac ratione detractum, ab iis, qui existimant, *Cyaxarem* II hujus regni socium fuisse, huic potest tribui. Ego vero malim, id referri ad annos, *Nabonnedo* imperanti datos a *Ptol.* qui cum ei non, nisi XVII annos assignet, biennium illud, per quod idem, jam impugnatus a *Cyro*, mansit in regno, uti ex iis patet, quae *Usser.* ad

an.

an. m. 3464. et 66. notavit, *Babyloniorum* victori tribuisse videtur. Id confirmat *Berosus*, qui narrat l. c. *Nabonnedi* anno XVIImo *Cyrum*, universa *Asia* subacta, impetum fecisse in *Babyloniam*. Sed cum ei ad imperium *Babyloniorum* sibi subjiciendum saltem biennio opus fuerit, hi duo anni, huic detrahendi, et *Nabonnedi* imperio *Babyloniensi* sunt addendi. His observatis, et iis, quas indicavimus, variis lectionibus admissis, omnis annorum, in hoc oraculo indicatorum, computatio tam accurate quadrat, ut hanc rationem omnium verisimillimam dicere non dubitem. *Iosephum* eodem modo numeros illos pronunciasse, quo nos, vel *Hassencampium*, probabile est ex eo, quod de *bel. jud.* l. 6. c. 5. §. 4. oraculum de *Vespasiano* a *Dan.* memoriae proditum esse, videtur significare, quod *Mich. Hass. Velth. Less.* monent, et quod colligi potest ex *Antiqu.* l. 10. c. 11. §. 7. Forte tamen ejus interpretatio dici possit nostrae magis favere, quam *Hassencampianae*, quia, si numeros, nostris majores, legisset, ejus oraculi exitum illo tempore non potuisset suspicari. Nam cum ille existimasse videatur, *Dar. Med.* esse *Cyaxarem* II. ille eodem anno, quo nos numerandi initium fecerit, necesse est. Sed haec sufficient ad demonstrandum, hoc vaticinium Mess. etsi pauca Messiae criteria contineat, posse tamen defendi contra adversarios acerrimos. At si quis innumerarum fere interpretationum varietate, (quam indicat *Clauswitzius, in Sammlung von Erläuterungsschriften und Zusätzen zur allgemeinen Welthistoriae* P. I. et II.) putet prophetiae hujus certitudinem facillime posse everti, eum velimus meminisse id, quod monet *Turretin. in Institut theol. El.* P. II. p. 305. si vel maxime de initio et fine hebdomadum illarum certetur, invictum tamen manere adversus judaeos argumentum, quo possit demonstrari, Mess. venisse.

13. Denique licet vel contra subtilissimos adversarios urgere N. T. allegationem, si scriptor divinus non tantum commemoret aliquod vaticinium, sed etiam demonstret, illud non posse agere, nisi de Mess. tum enim ex ejus cum nostra interpretatione consensu certum est, proprias Christi notas in illo V. T. loco inesse [a]). Sed hujus auctoritatis vis tum, cum abest ista demonstratio, non minor est, quoties divino oraculo cum loco N. T. in quo illud commemoratur, collato, liquet, criteria, ex quibus Mess. possit agnosci, non desiderari [b]). Atque adeo ex allegatione N. T. cui non impressa sunt accommodationis vestigia aperta, prophetiam aliquam ad Servatorem nostrum pertinere, eam ob caussam, quod Scriptores N. T. saepius provocant ad vaticinia, vere Messiana, vel tum fit probabile, cum attributum, in illa traditum, et series orationis ejusmodi interpretationem non tam requirit, quam admittit [c]).

a) Cf. §. 4. a) b).
b) Cf. §. 11. *e fin.* Poteſt ergo ea *Dan.* 9, 15. interpretatio, quam chronologia et hiſtoria requirit, ut vidimus 12, confirmari etiam Chriſti auctoritate. *Matth.* 24, 15.
c) Cf. §. 8. a).

14. Vaticinia Meſſ. in plures claſſes poſſunt deſcribi pro vario dividendi fundamento. Horum enim ſi *argumentum* ſpectaveris, eorum duo tantum genera debent conſtitui; quorum ad primum referre fas eſt vaticinia ea, in quibus de Meſſia, vel de ejus regno quaedam in univerſum praedicuntur, quae *generalia* dicere licet, ad quae pertinent fere antiquiſſima quaeque, vel illa, quae obiter ſunt adſperſa [a]): alteram claſſem efficiunt prophetiae magis definitae et ſingulis περιςάσεσι circircumſcriptae; quas *ſpeciales* poſſumus appellare; quae quoniam caſu nequibant exitum habere, ſuperioribus certiores dici merentur, certe facilius poſſunt defendi contra adverſariorum ſubtilitatem [b]).

a) Ex hoc genere eſt *Gen.* 3, 15. *Gen.* 12, 3. etc. Cf. §. 8. a) b).
b) V. c. *Michae* 5, 1. ſqq. *Mich.* in *Colleg. crit. praef.* vaticiniorum Meſſ. duas claſſes facit, utilitatis, quam nobis affere poſſint, ratione habita.

15. Si reſpicere malis *evidentiam* prophetiarum Meſſ. diſtingui poſſunt earum ſeptem genera. Ad primum quidem pertinent illae, quas de Meſſia, vel ejus regno neceſſario eſſe intelligendas, ex criteriis, quae iis inſunt, huic ſubjecto propriis, et ex ſcriptorum N. T. demonſtratione effici poteſt; quae quidem ſunt omnium certiſſimae [b]). Ad alterum referendae ſunt illae, quae in N. T Chriſto quidem vindicantur, aut oeconomiae, ab eo introductae, ſed nulla demonſtratione adjecta, e quibus vero ipſis elucent perſpicuae ejus notae, ſive verbis propriis, ſive metaphoricis [c]), ſive allegoria non dubia [d]) expreſſae; quae non minus certae ſunt dicendae. Tertium genus eſt earum, quae etſi non continent attributa Meſſiae, vel regno ejus plane propria, tamen de eo neceſſario explicandae ſunt, poſtulante hoc orationis contextu, et ſcribentis, vel dicentis conſilio [e]), aut chronologia, certis fundamentis nixa [f]). De his omnibus ſi in locis quibusdam propheticis conſtiterit ea certitudine, quae in ejusmodi res cadit, eorum interpretatio fere aeque certa eſt putanda, atque prophetiarum primi generis, praeſertim ſi eam confirmet

met N. T. auctoritas. In quarto mihi inesse videntur illa vaticinia, quae etiamsi non prae se ferant ea, quae non, nisi in Messiam cadant, tamen a scriptore quodam divino ad eum referuntur, addicente usu loquendi et contextu V. T. Horum explicatio etsi est paullo incertior, magnam tamen evidentiam potest assequi, si ea singulas quasdam περιςάσεις complectantur, quas in Christo, vel regno ejus, vix autem in Davide, vel alio homine, exitum habuisse, nobis praestet historia[g]); quorum quidem interpretatio paullo propius ad certitudinem potest accedere, si loca parallela V. T. eam requirere videantur[h]). Quinto generi equidem annumerare non dubitaverim ea, quorum explanatio est quidem ambigua, quae autem de servatore nostro ejusque institutis intelligi vult N. T. locus parallelus, vel eventus, quae certe oracula Mess. probabilia nominari debent[i]), atque adeo aliquam certitudinem assequuntur, si temporis Mess. notam adjectam habeant[k]). Sextum genus equidem dixerim eorum esse, in quibus apposite ad illud tempus, quo edita sunt, in universum aliquid praedicitur de salutis nostrae auctore, vel de ejus adjunctis; quorum autem mentio non fit in N. T. Horum probabilitas quamvis nequeat evinci contra adversarium acutum, potest tamen quodam modo demonstrari, si ipsa ratio loquendi faveat ea de Messia interpretanti[l]). His fortasse adjungere liceat septimum genus, quo contineri existimaverim eas prophetias, in quibus in universum regni divini propagatio et liberatio a peccatis praedicitur[m]). Sed haec quia plane nihil habent, quod non conveniat theocratiae et religioni jud. uniuscuiusque arbitrio sunt danda.

a) *Mich.* l. c. in 4. classes prophetias redigit. Cf. *Stark.* l. c. p. 472. cui p. 477. ii tantum de Christo dicti videntur Ps. qui ita comparati sunt, ut de *Davide* illisque temporibus exponi prorsus nequeant, qui de Christo in sacris N. T. libris vere explicantur, et in quibus nihil est, quod datae ab Apostolis explicationi ullo modo adversari possit; reliquos omnes perperam ad vaticinia relatos esse, existimat. *Seil.* l. c. p. 18. duo tantum prophetiarum Mess. genera constituit.

b) Cf. §. 4. a) b) §. 6. c) d).

c) V. c Formula ista tropica: *regem meum constitui in monte Zionio:* continet notam Mess. quia ea indicatur, eum praefuturum iis, ad quos pervenisset religio, ab eo *Hier.* tradita. Hic tropus vero repetitus est a *Davide*, cui tum regi mons *Zionius* jam erat subjectus. Cf. §. 6. b).

d) V. c. Ps. 45. cf. §. 11. e).

e) Cf.

e) Cf. §. 7. b).

f) P. II. 12. f).

g) P. II. 11. d) e).

h) Cf. §. 8. c). Sic *Ps.* 69. de Mess. agere, uti ex aliis argumentis, ita ex eo potest probari, quod ejus v. 33. ex *Ps.* 22, 27. expressus est, atque totum ejus argumentum magnam cum eodem habet similitudinem.

i) V. c. *Gen.* 12, 2. 3. et al. Cf. §. 8. a).

k) §. 9. c). et P. II. 12. a).

l) §. 8. b).

m) §. 9. b). Haec non aliam ob caussam ad Mess. possunt referri, nisi ob hanc, quia, quae de regno Dei propagando dicuntur et de liberatione a peccatis, in christocratia et in eo, quod praestitit Mess. hominibus, illustriore modo contigere.

16. Denique si quis quaerat, qui sit optimus ordo, ad quem prophetiae Mess. revocandae sint: equidem putaverim responderi posse, vel ordinem chronologicum observandum esse, quia tum eo facilius possit perspici, quae olim praedicta sint paullo obscurius, paullatim majorem lucem accepisse, vel primo quidem vaticinia de Messia, ejus adjunctis et muneribus, deinde autem oracula de regno ejus, vel de ecclesia christ. ejusque fatis, temporis ordine vel in his servato, esse explicanda, eaque ita esse disponenda, ut quae et materiae similitudine et ratione tractandi cognata sint, conjungantur. Sed quia interdum in una eademque prophetia diversa argumenta tractantur, tutior et facilior est prior ratio [a]).

a) In tempore, quo quisque propheta vaticinatus sit, definiendo consuli potest *introd. Eichhornii in V. T.* in singulorum autem *Ps.* Mess. aetate demonstranda *Venema.* Hoc ordine explicatis vaticiniis, facile erit unicuique, comparare eas prophetias, quae materiae similitudine ita sint nexae, ut una ad alteram illustrandam faciat. In hoc quidem negotio tirones adjuvare possit *Oporini Kette — der in den Büchern A. T. befindlichen buchstäblichen Vorherverkündigungen von dem Heylande, edit. Gotting.* 1745. etsi ejus vaticinia Mess. interpretandi ratio non ubique sit probanda.